


IOANNIS ANTONII SCOPOLI
ANNVS III.
HISTORICO-
NATVRALIS.

- I. *Solutio Quæstionis, an Medici olim Roma pulsi, ut ait Plinius.*
- II. *Luis Bovillæ symptomata, causæ, discrimina, remedia, præservativa & curativa.*
- III. *Observationes aliquæ de Cæruleo Berlinensi, aliisque Laccis.*
- IV. *Experimenta de Minera aurifera Nagayensi.*



LIPSIAE,
SVMTIE. CHRIST. GOTTL. HILSCHERI,
MDCCLXIX.



PRÆFATI O.



*Aiunt nonnulli, inutilem esse
artem saluberrimam, ac
medicos olim Roma pulsos;
Ita Plinius, ac post eum alii, præsertim
Iurisconsulti. Qui ab hoc dedecore Hip-
pocraticam vindicaret disciplinam, nemo
haecenüs inventus fuit, nec ego hoc argu-
mentum, aliis rebus occupatus, unquam
attigissim, nisi Comes Michelius Medi-
cus Udinensis, in Præfatione ad Tra-
ctatum suum de Febribus, eidem senten-
tiæ, hisce verbis subscripsisset: I grandi
errori, che da Pratici si commetono, obli-
garono un tempo la Republica Roma-
na a sbandire i Medici da Roma. Ferre*

P R A E F A T I O.

itaque non potui, Arti Medicæ, etiam a suis cultoribus, infamiæ notam inuri, coactus proinde paucis ostendere, medicos nunquam Roma pulsos elec̄tosque fuisse.

Neque minus publicæ utilitati consultum esse duxi, ea symptomata enarrare, quæ luem bovillam aliquot ab hinc annis grassantem, comitata sunt, additis eiusdem causis, ac remediis tam præservativis quam curativis, quæ cum fructu adhibita fuerunt, ac in tali morbo sunt adhibenda.

De Cæruleo Berolinensi pauca institui experimenta, ut demonstrarem contra sententiam Authoris Chemiæ experimentalis, basim huius coloris esse terram ferriferam, his addidi nonnulla alia circa laccas alias instituta.

Denique dicam illa, quæ circa mineralm Nagyayensem auro divitem obser-vavi, pouca quidem, sed chemica con-sideratione omnino digna.



I. SOLVTIO QVAESTIONIS,
an Medicu olim Roma pulsi?
ut ait Plinius.

§. I.
Post hominis lapsum in peccatum, indeque in morbos, statim Deus clementissimus & providentissimus providit hominibus de remedio medicinæ, esto illa post aliquot sæcula magis fuerit exulta & in methodum redacta a). Nullum itaque est hominum genus, nullus sexus, nulla ætas, quæ non utilitatem aliquam ex medicina petat; cum summi, medii, infimi, viri, feminæ, liberi, senes, infantes, pueri, adolescentes, iuvenes, & si qua est præterea ætas, quotidie ægrotent b). Me-

a) *Corn. a Lapide* in Ecclesiast. C. 38. v. 1.

b) *Locianus* de Republ. L. 3.

dicina itaque nusquam non fuit, siquidem & inperitissimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt c). Ut ergo alimenta, ita & medicamenta humano generi necessaria, imo utraque communi nomine alimenti insignita dicuntur: cum etenim alimentorum appellatio ne contineatur quidquid necessarium est ad vitæ sustentationem, fatendum est, contineri quoque medicinas d). Hinc pro insano a Legumperitis habetur ille, qui medicum & medicamenta contemnit e).

§. 2.

Hicce tamen haud obstantibus inductus est *Caius Plinius* ut assereret, Romanos olim per sexcentos annos sine medicis vixisse: Ecce eius verba: *Mutatur ars quotidie, toties interpollis, & inguiorū Græciæ flatu impellimur, palamque est; ut quisquis inter eos loquendo polleat, imperatorē illico vitæ nostræ necisque fieri; tēn vero non millia gentium sine medicis degant, non tamen sine medicina. Sicut populus Romanus ultra sexcentesimum annum; neque ipse in accipiendis artibus lentus, medi-*

c) *Celsus* in *Præsat.*

d) *Surdus de Aliment.* 4. Q. 5. n. 9. *Mascard.*
de Pipbat. resol. 1040. n. 1-4. *L. Zachius*
de Salac. Q. 18. n. 2.

e) *P. Zachias* *Q. Med. legal.* L. 6. Tit. 3. Q. 4.
n. 12.

etince etiam avidus, donec expertam damnavit.
Et paulo post: etenim percensere insignia pri-
scorum in his moribus conuenit. Cassius He-
mina ex antiquis Author est, primum e medi-
cis venisse Romam Peloponensem Archagathum
Lysanice filium, L. Emilio & M. Livio Cons.
ann. U. C. DXXXV. eique ius Quiritium da-
tum, & tabernacum in compito acilio emptam.
Ob id publice vulnerarium fuisse eum tradunt
vocatum. Mireque gratum adventum eius ini-
tio; mox a savitio secandi urendique transisse
nomen in carnisicem in tedium artis omnesque
medicos, quod clarissime intelligi potest ex M.
Catone, cuius authoritas, triumphus, atque cen-
sura, & quanto in unum conserunt, tanto plus
in ipso est f). Plinium secuti sunt Iuriscon-
fulti fere omnes, præcipue vero Hyeron. Ca-
gnolus L. 2. §. post orig. n 203. ff. de orig.
iur. Nicolaus Boerius Decis. aur. quæst. 325. n.
24. Card. Tuscius litt. M. concl. 159. Guid.
Panziculus Thes. var. lett. L. 2 C. 24. Anton.
Sabellius Praet. Crimin. §. Medici n. 3. Herm.
Hermes Iur. pub. C. 27. de Academ. aliique
plures ab his citati.

§. 3.

Verumtamen quam falsa & fabulosa sint
 haec omnia, docent in primis censuræ Viro-
 rum clarissimorum, quæ Historiæ Pliniæ

f) Hist. Nat. L. 29. C. 1.

omnem derogant fidem. Ita doctiss. Vernamius g). In Historia Naturali (inquit) videamus multa parum cum delectu & iudicio recepta & descripta, ut liquet ex scriptis Plinii, Cardani, Alberti & plurimorum ex Arabibus, quæ commentitiis & fabulosis narrationibus possim scirent. Franc. Valesius, postquam hanc ipsam Plinii de Medicis narrationem falsam esse demonstrasset, continendus (inquit) mihi impetus orationis, condonandaque inscitiae Plinii sua grammaticalis garrulitas mendaciis plena h). Salmasius etiam in iudicio de Plinio, libtos eius est annotationibus properanter excerptis compertos dixit, quod & Plinius ipse fatetur dum ait: *lectione voluminum circiter duum nullum, quorum pauca studioſi attingunt propter secretum materiæ, ex exquisitis authoribus certum inclusimus triginta sex voluminibus* i).

§. 4.

Sed demus etiam vera esse omnia quæ a Plinio scripta leguntur, nonne Anno U. C. 535. ut Plinius ipse fatetur, Romam venit Archagathus Lysaniæ filius, qui magno plausu exceptus, magnisque honoribus fuit decoratus? Si itaque per annos sexcentos sine medicis Roma viguit, necesse est, ut Septuaginta

g) De augment. Scient. L. I. col. 18.

h) De sacra Philos. C. 74.

i) In Epist. ad Vespasianum.

fere annis ante epocham eius urbis ars medica damnata esset; illos (inquit *Velefius k*) sexcentos annos, quibus Roma caruit arte hac, mendacium esse merum ipsa annorum computatione constat; nam venit Romani Archagatus anno ab U. C. 530, qui honorificentissime exceptus est, & post eum alii subsecuti sunt. Si igitur ante annos sexcentum daninaverat artem Roma, plus quam sexaginta, antequam conderetur, id factum fuit. Futilia itaque dictoria sunt hæc omnia. Præterea anno U. C. 535, (ut Concius in fastis consularibus post Holoandrum, Sigonium & Panvinium, annotavit) vi gente nimirum Gallico & Cisalpino bello, non qui a *Plinio* recensentur Consules, nempe *L. Æmilius* & *M. Livius*, extiterunt, sed *P. Cornelius Scipio*, & *Sempronius Largus*. Dein quid Catonis autoritatem *Plinius* adducit? Nonne Cato in suis libris de re rustica boni patrisfamilias esse dixit, suorum prospicere sanitati? nonne varia hic contra morbos remedia proposuit? Neque Cato Medicos unquam contemposit, teste *Plutarcho*, sed potius amavit, Cleantem enim habuit, cui inflamatam manum curandam dedit, ac inteflinae vulnere Uticæ accepto ab eo reposi voluit.

k) Loc. cit.

§. 5.

Præter hæc historiæ docent, medicinam ab Assyriis ad Ægyptios, inde ad Græcos, ac deinde ad Latios transisse, cumque primis Romanæ facultatis philosophia in hac urbe sedulo exulta fuerit, ut patet ex libris Didascalicis *Ugonis* a S. *Vettore* probabile omnino est & medicos ibidem fuisse; Romani enim ægros nunquam exposuerunt, quemadmodum factum legitimus a Babilonjicis 1), Basteanis, Hiberis, Assyriis m), aliisque populis, qui medicos non habebant.

§. 6.

Plinio obstat etiam lex Aquilia, ante duodecim tabulas indubie evulgata: *Si quis per vim, vel suasum medicamentum alicui infundit vel ore, vel clystere, vel si eum unxit malo veneno, Lege Aquilia eum teneri n).* De legis huius institutæ causa disserens *Leonardus a Capo*-*la legge Aquilia* (inquit) *come tutte altre leggi da noi teste rapportate, non già per li valenti Medici, o Metodici, o Empirici, o Rationali state fesser fatte, solamente per li popolareschi Empirici e volgari.* Verumtamen non solum ex his, sed etiam ex morbis epidemicis, quæ romanam urbem divexarunt, omnino patebit, sine medicis eam nunquam fuisse. Sic prima

1) *Herodot.* L. I.m) *Euseb.* Hist. Ecclesiast. L. 10. C. 11.n) *Parere,* Ragionam I.

pestis post Sabinorum bellum, sub Tullo Hostilio, exarsit, anno U. C. 29, L. Ebutio Helva, & P. Servilio Prisco Cons^l. de qua locutus. *Livius o), grave tempus (inquit) & annus pestilens erat urbi, agrisque, nec hominibus magis quam pecori.* Secunda exorta est anno U. C. 300. P. Tergemio Curatio, & S. Quintilio Varone Cons^l. homini brutisque pariter infensa. Tertia fuit anno U. C. 320, sub Tribunatu Fabii Vibulanii, L. Sergii Fidenæ, & L. Furii Medulini, de qua iterum *Livius hæc habet, aliarum rerum omnium otium præbuit, tuncque Aedes Apollini pro valetudine populi vota est p).* Quarta viguit anno U. C. 341. Q. Fabio Ambusto, & C. Furio Pacillo Cons^l. Quinta ann. 353, ita a *Livio* descripta q). *Ex intemperie cœli raptimi mutatione in contrarium facta, sive alia qua de causa, gravis pestilensque omnibus animalibus ætas excepit, cuius insanabilis perniciei, cum nec causa, nec finis inveniretur, Libri Sybillini ex Senatus consulto aditi sunt, duumviri sacris faciundis lectisternio nunc primum in urbe Romana fatto per dies octo, Apollinem, Latonamqne & Dianam, Herculem, Mercurium, alique Neptunum tribus quam amplissimis, tum parari poterant, stratis lectis placavere.* Sexta erupit anno U. C. 368, post deiectum de rupe Tarpeia M. Manlium.

o) Decad. I. L. 3. C. 6. p) l. c. L. 4. C. 25.
q) l. c. L. 5. C. 13.

Septima anno 388, L. Genutio Aventinensi, & Q. Servilio Ahala Conſſ. Octava apparuit anno U. C. 405, M. Popilio Lænate IV, & M. Valerio Corvo Conſſ. Nona vero, ut alias taceam, ſævit anno U. C. 419. Iam vero, quis credet unquam, populum Romanum felicitatis ac valetudinis propriæ avidiſſimum, inter tot morborum calamitates, quæ incursionibus hostium multo graviores sunt q), fine medicis fuiffe, eorumque artem condemnaffe.

§. 7.

Si vero artem damnavit, quo animo lectiſternio Apollinem placat, qui eandem inventit r)? Præter hæc varia templa Apollini a populo Romano erēcta legimus; talia ſunt inſigne illud in eo loco dicatum, ubi iſtanus Publius a lupo lacerari viſus eſt; Ædes ad Tiberim exstructæ s); Templum ab Octavio ædificatum in ea parte domus Palatinæ, quam fulmine itam defiderari a Deo Haruspices pronunciarunt t), ubi & bibliothecam eidem dicit u); tale denique celebre illud in quo Cæſar consilium iniit, ſuper legationem Iudeo-

q) Gloss. non minorem Col. 4.

r) Inventum Medicina meum eſt. Ovid. Metamorph. L. I.

s) Livius L. II. C. 2.

t) Sueton. de Octavio n. 29.

u) Dion. de Octavio L. 53.

rum, magnis opibus impensisque fundatum x). Iam vero quæ religio, qui cultus, aut quæ ratio templo exstruendi foret illa, si homines qui numina illa, eorumque artem excolunt, exilio damnarentur?

§. 8.

Idipsum appareat ex publicis etiam honoribus, quos saluti, tanquam novæ Dæx, Romani contulerunt. Ita eidem, iam ante inductum Romæ Æsculapium, a Junio Consule Samnitibus superatis, Templum dedicatum fuit, de quo *Livius* y) aedes (inquit) *Salutis*, quum *Consul* voverat, *Censor* locaverat, *Dicitor* dicavit; De hac ipsa æde *Plinius* quoque locutus est, dum *Fabium Pictorem* laudans, ait, *aedem Salutis pinxit anno U. C 450, quæ pictura duravit ad nostram memoriam, aede Claudi principatu exusta* z). Eidem publicæ Saluti statuam posuit *Augustus* a), eaque sine dubio fuit *Hygea*, de qua in Iure iurando meminit *Hippocrates*, ut docet inscriptio Reineflana b).

Æsculapio Epidauro

D. P. P

Et Saluti.

x) *Ioseph. Antiquit. L. 17. C. 17.*

y) *Decad. I. L. 10.*

z) *Lib. 25. C. 4.*

a) *Dion. Lib. 43. b) Syntag. Inscript. Antig.*

Hygia enim in plurimis nummis c) *Æsculapio iuncta* conspicitur, cum eius filia a *Suidā* d), coniux autem ab *Orpheo* fuerit appellata.

§. 9.

Plinianam sententiam refutant & illa, quæ *Livius de rebus Romæ gestis anno eiust. 461* sub Consulatu Q. Fabii Maximi Gurgitis, & D. Junii Brut Scævæ, in *Lib. decimo Detad. I.* nobis scripta reliquit: *Multis rebus natus annus, vix ad solatium unius mali, pestilentiae urentis simul urbem atque agros, sufficit, portentoque similis clades erat, & libri aditi, qui nam finis, aut quod remedium eius mali ab Diis daretur, inventumque in libris, Æsculapium ab Epidauro Romanum accersendum. Neque eo anno, quia bello occupati Consules erant, quicquam de ea re actum, præterquam quod unum diem Æsculapio supplicatio habita est. Sed adhuc clarissimus Valerius Maximus, Trienio (inquit) e) continuo vexata pestilentia civitas nostra, cum finem tanti & tam diuturni mali, neque divina misericordia, neque humano auxilio imponi videret, cura Sacerdotum inspectis libris Sybillinis, animadvertisit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quam si ab Epidauro Æsculapius effet accersitus; itaque eo Legatis missis, unicam fatalis remedii openi au-*

c) Vide *Vuillant. Numm. Imper. August. & Cæs.*d) *Lexic. II. e) L 1. de Miracul.*

Etoritate sua, quæ iam in terris erat amplissima, impetraturam se credidit, neque eum opinio decepit, pari namque studio petitum ac promisum est praesidium. Eiusdem eventus meminit etiam *Arnobius* f) his verbis, *ad pestem abigendam, Aesculapius, qui erat magnus coluber, Epidauro Romam est adductus, & templo & sacrificiis cultus*; nec non *Ovidius* g) duim ait:

castrumque sacrasque
Latini sedes, Tyberinaque ad ostia venit.
Huc omnes populi passim, matrumque patrumque
Obvia turba ruit, quæque ignes Troia servat
Vesta tuos, Iætaque Deum clamore salutat.

Ergo etiam ante Archagathum, *Plinio* ipso annuente, venit Romanum Aesculapius, ibique summis honoribus fuit decoratus. Quod vero templum Aesculapii extra urbem ideo eretum *Plinius* affirmat, quod Romani medicos ferre non possent, gratis omnino & impudenter asseritur, id enim ideo factum est, ut posteri sciant nihil saluti civium magis esse consentaneum, quam ab urbe ad rura sæpius se conferre, ubi aër multo salubrior est ac in amplissimis civitatibus, ubi angustæ plateæ & magnæ ædes occurunt. Deinde Latii græcos in hoc imitati sunt, qui templo

f) L. 7. contra Gentes.

g) Metamorph. L. 15.

Æsculapio semper in apricis liberisque locis ædificarunt.

§. 10.

Æsculapius itaque, iam ante Archagathum, ab Epidauro Romam abiit, ut peritissimus medicus in urbe amplissima artem gloriosissim exercebat h). Quanta vero fuerit Viri huius peritia in cognoscendis curandisque morbis patet ex Nummis a Traiano, Adriano, Caracalla, Macrino, Maximo, Philippo utroque, Decio, aliis in eius honorem cisis, ac præsertim illius sub Antonino Pio signati ΘΕΩΤΕΛΕСΦΟΡΩ, Æsculapio nimirum, teste *Morellio* i) unice applicandi; demonstrant templa multa in eius honorem exstructa, nempe Romanum, Achaium, Zebenaicum, Cyrenaicum, Pergamenum; ostendunt ludi ΑΣΚΛΗΠΙΑ СΩΤΗΡΙΑ in antiquo nummo Aneyrano dicti k); ac denique probant genuinæ in quibus baculus, serpens & noctua videtur, quæ egregii huius medici peritiam prudentiamque demonstrant.

§. 11.

Sed & præter Æsculapium Romanum medicos habuisse lego; Ita Tanaquil, medici vices agens, vulnus, quod marito pastoribus illatum fuit, ipsamet fovit & deligavit, *Tanaquil* (ait *Livius*)

h) *S. August.* de Civ. Dei.

i) Specim. Rei Nummariae p. 56.

k) *Spanhem.* in Epist. ad *Morell.*

Livius) inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros excipit, simulque quæ curando vulneri opus sunt, sedulo comparat l). Præter hæc, quis curavit Hetruscos anno U. C. 246? Quis vulnera sanavit lata ab aruncis anno U. C. 251. Opitero Virginio Tricosto? Quis Titii Herminiji Legati, dum Mamiliū spoliat, vulnerati curam suscepit? Quis vulneratos in bello Tusco milites sanavit? Quinam denique ii fuerunt, qui anno U. C. 301; peste necatis servis, cum diuidia aliarum personarum pars optulandis civibus non sufficeret, auxilium urbi tulerunt m); nonne medici? vel si hoc nomen ferre nolis, dicam viros in cognoscendis curandisque morbi exercitatos. Consuetudo enim conferendi in Academiis publicos honores primum introducta fuit ab *Eugenio Terrio* Pont. max. suggerente *Gratiano* A. 1145, qua de re lege *Bulæum Sæc. LV. Hist. Universit. Paris. Ludovicum Vives de causis corrupt. Art. L. 1. & Jacob. Middendorpium* in Lib. de *Academ.* n).

l) Decad. I. L. I. C. 41.

m) *Dion. Antig.* L. 10. p. 677.

n) Doctor olim, idem erat ac *Pharisæus*, nam Fœnicii nautæ, septentriones Romanorum vocaverunt *Parasim* ad hæbreæ voce פָּרָשָׁה, *Parascha*, Indicationes ex פְּרָאֵס, *Parascb*, indicare, docere.

§. 12.

Falsum est itaque medicos olim Roma pulsos damnatosque fuisse. Rerum enim in ea urbe gestarum optima quæque documenta quærenti, patebit, aliarum equidem artium cultores Roma pulsos fuisse, medicos vero non item. Ita peregrinos fere omnes, lata lege, inde electos legimus apud *Dionem* o) Idem de Chaldaeis refert *Valerius Maximus* p), de Mathematicis vero *Suetonius* q); hoc hominum genus damnatur etiam a *Codice* r), & erant *Genethliaci*, *Harioli*, *Haruspices*, *somniorum interpretes*, *similesque impostores* s); quos Tacitus vocat *Genus hominum petentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra vetabitur semper*. De medicis autem tale quid nullibi legitur, quod & magni viri, *Scipionis Maffei*, *Marchionis Veronensis* authoritas confirmavit, in litteris olim ad me datis, in quibus hæc habet: *I primi che Roma esperimentò, fur cattivi Medici, perciò gli disapprovo, damnavit, ma non gli espulse; Pulti mathema-*

o) Hist. Rom. L. 3. p) Lib. I. C. 3.

q) De Tiberio n. 36. & Vitelio n. 14. nec non Dion. I. c. L. 65. de Domitiano autem ut ait Ill. Hallerus in Not. 7. ad Boerb. aph. 7. non invenio.

r) L. 9 tit. 18. de Geometr. & Mathemat. leg. artem Geometr.

s) Zoësius in Comment. ad L. 48, digest. Tit. 8. ad l. corn. de sicar. in fine.

tici si trova in Tacito, in Suetonio, ma non già pulsì Medici.

§. 13.

Plinianæ sententiæ obstat et amor ille singularis, quo Romani exterros homines artiumque cultores prosecuti sunt, quod optime advertens Tullius, illud (inquit t)) sine ulla dubitatione nostrum fundavit Imperium, & Pop. Rom. nomen auxit, quod Princeps ille huius urbis Romulus fædere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cuius autoritate & exemplo est intermissa a maioribus nostris largitio & communicatio civitatis. Romuli exemplum secutus est Hostilius, qui, licet pacis insolens & ad bella factus extiterit u), attamen quo frequentius civitas habitaretur in Cælio monte sedem fixit. Tot itaque artifices convenerunt in urbe, ut anno U. C. 424, sub Cons. L. Æmili Max., & Caii Plautii, graffante Gallico bello, artifices etiam Roma fuerint evocati x). Si ergo populus Romanus omne genus hominum benevole excepit, credibile non est, solos medicos ab eo contemptos reiectosque fuisse. Nec iuvat asserere, suscepisse eum equidem, si præclaros in arte Viros allicere potuisset; dedit

t) In Orat. p. Corn. Balbo 31.

u) Petav. Rab. Temp. P. 1. L. 2. C. 7.

x) Livius Dec. I. L. 8. C. 20.

enim orbi providentia circa ann. U.C. 324, seu inter tempus expeditionis Persarum in Græciam, & bellum Peloponnesiacum y), Empedocli & Protagoræ coævum in Græcia Hippocratem, qui ab Herculè vigesimus, ab Æsculapio undevigesimus, Heraclida & Phænarate genitus, saluberrimam artem methodo rationali colligerens, ac utilissimas observationes undique congregans, immortalem sibi apud posteros laudem iure merito comparavit.

§. 14.

Si vero diligentem usum sex rerum (ut scholæ vocant) non naturalium, a Romanis semper observatum, expendimus, clarus adhuc patebit, nec medicos, nec medicinam ab iis unquam damnatam fuisse. Ac ut aere exordiar, cum civitas illa, ob undique deciduas e collibus aquas, paludes valetudini insensas passim aluisset, Priscus Tarquinius eas educere & exsiccare conatus est, cloacis instructis, quæ stagnantes aquas in Tyberim ducerent z); quod opus sumptuosum ea ætate fuisse, docuit Consul Frontinus, qui visitandis purgandisque aqueductibus a Nerva Imperatore præfectus, eos trium milliarium longitudinem habuisse, ac 13594 fuisse notavit, quorum diameter pollex erat. Tot sumptuum ac laborum unicus finis, erat avertere ab urbe morbos, ac

y) Petav. I. c. L. 3. C. 8.

z) Livius I. c. L. 1. C. 38.

febrim præsertim, quæ, ob stagnantes passim aquas, ei adeo infensam fuisse legimus, ut quo minus noceret, in templis culta fuerit. *Romani* (inquit *Ælianuſ a)*) *sub Pallantio colle, febri templum & aram ædificaverunt; & Ciceron* a), *febri* (ait) *fanum in Palatio & Orbona ad ædum larum consecratam videmus.* Quod clarius adhuc *Valerius Maximus* his verbis innuit c), *Romani febrim ad minus nocendum templis coluerunt, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in Area marinorum monumentorum, tertium in summa parte Vici longi extat, inque ea remedia, quæ corporibus ægrovrum adnexa fuerant, deferebantur.*

§. 15.

In ciborum quoque delectu veterum Romanorum attentio in primis enituit. Ita Romulus temulentas mulieres & ebrios homines morte damnavit, unde factum, ut, teste *Gellio* d), sobrietas ac temperantia, ea ætate in primis floreret. Num Pompilius Pythagoricum viatum in primis laudavit, suoque exemplo introducere conatus est, ex quo eum Pythagoræ discipulum fuisse quidam crediderunt, cum tamen Philosophus hic vixerit A.

a) Lib. 12.

b) De Nat. Deor. L. 3. n. 25.

c) L. 3. C. 5. in fine.

d) L. 11. C. 14.

Mundi 3457, quo tempore Thales Milesius occubuit, Numa autem A. 3295.

§. 16.

Neque minus laboriosos, ac otii inimicos fuisse veteres Romanos docent tot bella ab iis feliciter suscepta, & agriculturæ amor adeo fervens, ut præmia darent diligentibus, incurios vero pœnis adficerent. O præclarum institutum! faceſſant qui intra mœnia civitatum mollibus tecti defidem vitam agunt, ac dissipandis opibus unice intenti, otio marcerent. Sola *res rustica* (ut ait *Columella e*) proxima & quasi consanguinea sapientiae est, ſe, ut clariss. *Cicerο f*), parsimoniae, diligentiae & iustitiae magifra est. Hinc adeo gratae Romanis agrariæ leges Apuleia nempe, Baebia, Cornelia, Flaminia, Flavia, Titia, Marcia, Rofcia, Thoria, Servilia, aliæque.

§. 17.

Adductis contra Plinium præcipuis argumentis, iam præcipuos medicinæ cultores, qui ab Iulio Cæſare, usque ad Adriani Imperium, in eadem urbe floruerunt, breviter enumerabo, ut reipublicæ ac Imperii eiusdem amor erga rem medicam, eo clarissus innotescat.

e) De re Rust. L. 1.

f) In Orat. pro Rofcio n. 75.

Tempore M. T. CICERONIS.

A SCLEPO, de quo ad Tyronem scribens Cicero, *Asclepo* (inquit g)) *Medicus, plane confirmat, prope diem te valentem fore, & denuo alibi h)*, *Asclepone* (ait) *Patrensi Medico utor valde familiariter, eiusque tam consuetudo mihi iucunda fuit, quam eius ars, quam sum expertus in valetudine meorum.*

Sub *Augusto*.

A NTONIUS M V S A, qui Cæfarem ab omnibus derelictum sanavit, statua propterea publice decoratus. Viri huius meminit quoque Plinius, dum ait: *Divus Augustus lactuca conservatus in ægritudine fertur prudentia Musæ Medici i)*, sed hoc non lactuca, bene vero frigidis lavacris & potionibus factum testatur Dion k).

A RTORIVS Asclepiadis sectator, qui referente Plutarcho Augustum nonuit, ut in aciem Pharsalicam, licet æger, descenderebat.

T RIPHON, nullo scripto celebris.

G LICON, de ait Suetonius l) a Cæfare custo-

g) Fam. Epist. L. 16.

h) Ibid. L. 13. ad Sulpit.

i) Lib. 19. C. 8.

k) De Cæf. Aug. p. 517.

l) De August.

ditum fuisse, cum suspicio esset, eum alicui venenum vulneri infundisse.

Sub *Tiberio.*

Scribonius L A R G V S, celebris scriptor, qui usque ad Claudii tempora vixit.

C H A R I C L E S Archiater, qui ex pulsu Tiberio mortem prænunciavit m).

M E N E C R A T E S Zeophletensis, author Libri Αστονερατωρ ὁ λογαριαστος.

Sub *Caligula.*

A R C Y O N nullo scripto notus.

Sub *Claudio.*

Vectius V A L E N S, Methodicorum princeps, author Lib. *Antholog.* citatus a Galeno n) & Sereno Sammonico.

A L C O N, aliis *Alcontius*, aut *Accontius*, vulnerum medicus, centum sextertiis a Cæsare, nescio qua de causa, seimel condeinatus o).

Sub *Nerone.*

A N D R O M A C H V S senior, Archiater, Theriacæ inventor, ut antidoto hoc Cæsarem a veneno præservaret.

m) *Tacit.* Annal. L. 5. & *Sveton.* de Tiberio n. 72.

n) Lib. de Medicam. comp. sec. loc.

o) *Flin.* L. 29. C. 1.

Cornelius C E L S V S , Latinus Hippocrates, quem *Columella* p) non solum Agricolationis, sed universæ naturæ prudentem Virum dixit, statua publice exposita a T R A I A N O decoratus.

C H R I N A S , seu Critias Massiliensis, Medicus & Mathematicus, methodicis iufensus, cures morborum, iuxta syderum cursus, instituens.

Sub *Traiano*.

Soranus E P H E S I V S , methodicus insignis, ab Alexandria Romam venit. Vixi huins scripta perierunt, iis exceptis quæ Cælius A V R E L I A N V S , rudi stylo, in latinam lingua transtulit.

A R C H I G E N E S Apameensis, celebris medicus, citatus a G A L E N O A E T I O q), s E R A P I O N E , M E S V E , vir adeo temperans, ut in conviviis pocula recusaret, unde ortum adagium de ebriosis *Archigene indiges* r).

R V F F V S Ephesius, qui quinque libros scripsit de re herbaria, versibus hexametris s).

p) De re Rust. L. 3.

q) *Aretæi Verba Ætius* passim habet, quæ tam ex Archigene se accepisse dicit.

r) Vide *Adagia P. Manucii*.

s) *Galen. de simpl. medicam. facult.* L. 6.

Sub *Adriano.*

HERMOCENES, Cæsaris Archiater.

Sub *Antonino pio, M. Antonino, Aurelio, Commodo, Pertinace, Juliano, Se- vero &c.*

ANDROMACHVS iunior dictus a Galeno,
quia filius Archiatri Neroniani.

AE T I V S Abidenus, seu Amidenus, Antiochenus, qui dogmata priorum Medicorum, sexdecim libris compilavit, & distinxit in *Terabiblos*, seu *quaterniones quatuor t.*)

Claudius GALENV S Pergamenſis, Niconis filius, medicus perdoctus, sed in contemnendis prædecessorum, iuno & Hippocratis, scriptis, nimium audax, cum tamen Hippocrate interior adeo fuerit, ut merito de eo, hunc in modum scripferit *Cardanus u*), qui *Hippocrati Galenum parem esse putant, neutrū eorum se intelligere ea confessione satentur, plus enim Hippocrates a Galeno distat, quam Galenus a puerulo quovis.*

Q. Serenus SAMMONICVS senior, Poeta simul & Medicus, qui libellum conscripsit de Medicina parvo pretio parabili, in quo & barbari vocabuli *Abracadabra* mentioneñ facit.

t) Lege Freind. Hist. Med.

u) De rer. Subtilit. L. 16.

EUDEMVS, Anatomicus & Peripateticus excellens, non confundendus cum Eudemo Liviæ corruptore, ac Themisonis assecla.

ANTIGENES qui sub *Aurelio* vixit.

MAGNVS, vixit sub *Antonino pio* & *M. Aurelio*.

§. 18.

Præterea obiiciunt aliqui Medicos olim Parabolanos, seu fabulatores appellatos fuisse, ut apparet ex *Gloss. ad l. 17. Cod. de Epistop & Gloss. circulat. ad l. 6. §. gramat. ff. de excus. tutor.* Verumtamen Parabolani, ut notat *Zachias* x), non pro medicis a legibus accipiuntur, nam per ipsas leges Parabolanorum elec^{tio} ad episcopos pertinet, medicorum vero ad magistratus. Præterea (ut ait Cl. *Tiragellus* y), neque ea *appellatio medicorum ei loco congruit, nec alibi apud antiquiores reperitur, nec in postrema lege ordo constructionis potest convenire, si parabolani legas;* ideoque aliud verbum, & quidem græcum, fuisse in iis legibus, huic verbo proximum coniicio, a nostris non intellectum, qui hoc illius vice suffecerunt. Sed demus etiam parabolanos esse medicos, quid inde? *Parabolæ Salomonis ostendunt, quod, quæ sapientes in considerationibus naturalibus protulerunt, convenienti metaphora*

x) Quæst. Med. legal. L 6. Tit. 3. Q. 4. n. 30.

y) De Nobilit. C. 31. n. 419.

mortalibus adaptarunt. Doctor gratus est efficax parabolis utitur ad occulta per sensibilia declaranda. Aeterni Doctoris Evangelica lelio docet, eundem fuisse parabolam. Sapientis igitur ad exemplum illius praemissa reddit in parolas opportunas 2). Et haec de quæstione hac historicâ dicta sint satis.



II. LVIS BOVILLÆ

Symptomata, Causæ, Mutationes, ac Remedia
præservativa & curativa.

Articulus I.

DIFFERENTIÆ ET SYMPTOMATA.

§. I.

Lues Bovilla, veteribus μαλίς, ac μαλίη dicta, est febris inflammatoria, sui generis boves unice invadens, & a peculiari miasmate ab uno individuo ad aliud propagata suam originem ducens. Huius species quatuor prisca sœcula statuerunt, nempe ύγεαν, Ξηράν, αρδεῖτιν, & υποδεματίτιν. Prima, seu μαλίς υγεαίν, est serofla, sub qua pituitosus & viscidus humor ex ore & nafo fluit; secunda Ξηράν siccā vocatur, in qua nullum ex ore & nafo stillicidium appetit; tertia

2) *Arnoldus de Villa nova. Aph. C. 7.*

αρθρίτις, seu *articularis*; quarta vero *υπερδερματίτις* aut *cutanea* vocatur. *Malis serosa* a Germanis dicitur *Gangræna nigra* (der schwarze Brand), *sicca* vocatur *Brunella* (die Bräune), *articularis*, *inflammatio articulorum* (Knochen entzündung), *quarta* vero seu *cutanea* *Gangræna calida* (der heiße Brand) appellatur.

§. 2.

Malis serosa denuo triplex occurrit, nempe *maligna*, *anginosa* & *pulmonalis*. Maligna omnium pessima, brevi tempore boves interimit, ac si apoplexia tacti fuissent. Talem luem describit *Lancisius* (de bovilla Peste P. 3. C. 2.) hunc in modum, *alios spectavimus, tamet si rarius, præcoci morte, quasi fulmine taños interisse, qui natura sua iam enerves, spirituque fuerant destituti.* Rarum certe hoc mali genus in boibus, & sæpius ex alia prægressæ luis specie germinans, in animalibus effoetis ac debilioribus.

§. 3.

Malis Anginosa, in Italia A. 1713 - 1715, symptomatibus hisce stipata se prodidit.

1. Tristitia insolita.
2. Caput pendulum.
3. Lachrymæ, aut aquosus humor ex oculis profluens.
4. Stilicidium aquosum aut mucosum ex ore & naso.

5. Frigus & tremor totius corporis.
6. Ruminatio nulla, & apetitus abolitus.
7. Pustulæ aut Hydatides cum aliqua inflammatione, in ore, lingua, faucibus.
8. Stercus tenue, fœtidum, variegatum, quandoque & sanguine mixtum.
9. Quædam animalia, sub initium morbi, in fugam acta, furere, mugire, & in artibus convulsiones aliquas ostendere cœperunt.
10. Reperti sunt etiam vermes in naso, labiis, ore, & ad cornuum radices.
11. Intra hebdomadam peribant omnes, qui vero diutius vitam protraxerunt, sanitati quandoque restituti sunt.
12. Post restitutam sanitatem, incedere non poterant, ac pilos deponebant.

In cadaveribus inventi sunt tumores in ore & fauicibus, pulinones gangrenosi & cœrule-scentes, hepar putrefactum, intestina maculis gangrenosis variegata. Luem hanc *Fracastorius* ita descripsit: *Referemus etiam insolitam A. 1514 contagionem, quæ in boves solum irrepit. Visa primo circa Foroiulensem tra-Elum, mox statim & ad Euganeos delata, atque inde in agrum nostrum. Abstinebant pri-mo boves a cibo sine causa alia manifesta, spe-stantibus autem ora biblicis, asperitas quædam & parvæ pustulæ conspiciebantur in palato & ore toto.*

In *Borussia* A. 1745. &c.

1. Frigus totius corporis.
2. Rigiditas & insueta artuum immobilitas.
3. Defectus naturalis caloris in ore & naso.
4. Fluor mucosus ex dictis locis.
5. Quandoque vesica in lingua, primo albida, dein rubra, denique nigra.
6. In quibusdam lingua tota albidum, aut nigricantem colorem induit.
7. Respiratio perpetuo difficilis, celer, fœtida.
8. Tussis ac stertor.

In cadaveribus hepar fuit gangrenosum, vesica fellea magna ac plena bile fusca, omasus inflammatus & nigricans, cor nigro cruento plenum, pulmones corrupti.

In variis *Galliae* Provinciis A. 1763.

1. Boves nec comedere, nec bibere, nec solitos labores peragere poterant.
2. Usque dum sub lingua prope radicem vesica appareret, quæ primo albida, dein rubra, ac denique nigra facta fuit.
3. Hac disrupta, relicta fuit ulcus late serpens, & totam linguam destruens.
4. Aliis in locis videbatur macula rubra quæ in vesicam mutabatur, ac tandem

fasciculus pilorum, qui totam linguam sensim corrumpebat.

§. 4.

Melis Pulmonalis sequentia ostendit signa.

In *Carniola* A. 1759.

1. Ruminatio abolita.
2. Apepsia.
3. Diarrhœa educens materiem aquosam, flavam, aut nigrum.
4. Ex oculis fluit humor crassus, puriformis.
5. Respiratio difficilis, dolorosa.
6. Vaccæ lactem amittunt.
7. Perit animal die tertia, quinta, nona, aut undecima.

Post mortem inventus fuit 1) nona Iunii circa *Tirnau* omasus ab ingestis tumidus & ita plenus, ut plus capere non posset; hepar corruptum, pulmones nigro-maculati. 2) Decima eiusdem circa *S. Marein* omasus fœno indigestus infarctus, hepar hinc inde purulentum, pulmones pluribus in locis corrupti. 3) Decima tertia eiusdem circa *Labacum* omasus eodem modo constitutus & semiputridus, pulmones gangrenosi. 4) Decima quinta eiusdem in *Seltzach*, eadem omnia, quæ circa *Tirnau*.

In Ducatu Styriæ A. 1765.

1. Tussis quotidie vehementior.
2. Vaccæ lac non præbent.
3. Tristitia, somnolentia, caput & aures pendulæ.
4. Secunda aut tertia fœtidus alvi fluxus.
5. Oculi rubri, icorem fundentes; cornua vero una cum ore valde calida.
6. Ruminatio cessat.
7. Ex nafo fluit humor crassus, fœtens.
8. Quibusdam in bobus os internum tenaci muco obducitur, & præ calore fissuras acquirit; aliis vero non item.
9. Calor indies augetur, exspiratio fit fœtida & celer, & venter contrahitur.
10. Quamprimum a miasmate inficitur animal, mox esurit, & iacens locum sæpe mutat.
11. Fluxus alvi cruentus apparet.
12. Quandoque eructatio, flatus, & alvi difflentio observatur.
13. In nonnullis bilis exundat, & viridi colore tincta per vias urinæ excernitur.
14. Animal de die in diem debilius evadit, non amplius surgit, ac tandem
15. Perit die 3, 4, 5, 6, 7, 8, vel ad summum 9.

In cadaveribus apparet caro mollior & naufragosa, sanguis nigricans, intestina naturali colore tincta, cystis fellea valde magna, cor ni-

gricans, omnis durissimus & indigesto fœno plenus.

In *Cariathia*.

1. Si pili, præsertim in bobus, duriores redundantur, erigunturque eodem sere modo ut setæ dorsales in sue, signum evidens est tale animal contagio infectum fuisse.
2. Incipientis quoque mali signa sunt insolita lassitudo, aures pendulae, caput nutans, oculi tristes, appetitus abolitus, cructatio, lactis defectus aut color alienus.
3. Observatur etiam calor præternaturalis totius corporis, post frigus & tremorem, quo durante aures, nasus, & os frigidum se prodit; contracratio ventris repentina; respirationis difficultas, calida, fetens; oculi turbidi & humore manantes; spuma circa labia, os vero interne album & muco obdutum, quandoque vero & siccum, vel penitus nigrescens; sitis modo inextinguibilis, modo nulla, etiæ ingens calor adfit; in faucibus & palato vesiculæ ac tumores phlogistici; fluxus ex ore, salivationem referens, quandoque maleolens; Diarrhœa non raro fetida, sanguinea, aut purulenta; alvus quandoque obstructa; in quibusdam urinæ suppressio cum abdominis intumescientia; solet & aliquando sanguis per vias lotii, aut lactis prodire; venter non raro inflatur, ut-

& collum, ad instar strumæ; apparent quandoque in cute tumores, qui sponte aut ferro aperti, foetidum icorem fundunt; in nonnullis cornua aut ungulæ finduntur, ac decidunt, alii vero rigiditate membrorum aut convulsionibus corripiuntur. Denique perit animal die 3, 4, 5, 6, 7, vel & serius.

4. Intercallares quoque dies in nonnullis observantur.

5. Cadavera extinctorum animalium exhibuerunt intestina, ac præsertim crassa, aëre valde distenta, & per factam abdominis aperturam insolito impetu exitum mollientia; cystim felleam multo maiorem, & crassa bile turgidam; omasum in primis induratum, & indigesto siccoque pabulo farctum ita, ut lamellatim educi queat; in omaso, obomaso, intestinis, hepate, liene, corde, pulmonibus, œsophago, faucibus, meningibus &c. observatur insucta quædam atonia, laxitas, vasorum infarctus, hydatides, obstrunctiones, sanguinis extravasationes, qui perpetuo crassior aut fluidior, nec non foetens, ac alieno colore tinctus, appareat. Tumores modo clausi, modo vero aperti, in quibus purulentus ac foetidus humor nuditatur; maculæ fuscæ, cæruleæ, nigræ; vessiculæ flavo ac putrido icore plenæ; medullæ ossium liquatae, vel alieno colore

tinctæ; fœtor intolerabilis, etiam si cadaverū statim post mortem aperta fuerint.

Communiter autem *in principio* morbi latet anguis in herba per 5, 6, 7, 8, hebdomadas, donec tussire incipiat animal, quæ tussis 10-14. 14 dies antequam alia mali symptomata se prodant, sèpius observatur. In nonnullis, quamprimum morbus invasit, mox fœtidum spargunt odorem, qui indubiae ac intra paucos dies secuturæ mortis signum constituit. Quidquid bono cum successu in lue bovilla tentare licet, id omne in hoc stadio perficitur, quo elapso frustra plerumque adhibentur omnia selectissima quoque remedia.

In augmento ruminatio abolita, ac respiratio difficilis apparet, & indicat iam præsentem inflammationem. In lue illa, qui cancer linguae (*Surlangue*) vocatur, oritur in hoc studio, ut antea dictum, prope linguæ radicem vesicula quedam rubro anulo cincta, quæ brevi tempore aucta icore suo linguam corredit ac destruit.

In statu pessima semper symptomata occurunt: Ex ore & naso fluit fœtidus icor, vacce abortum patiuntur, alvi fluxus fœtidus & colliquatus se prodit, in nonnullis sanguis per alvum exit, ac brevi postea moriuntur.

Articulus 2.

C A V S E

I. *Physicæ.*

1. Aër.

Aërosphæra, quæ nos atabit, continet ea omnia corpuscula, quæ ex individuis regni animalis, vegetabilis, ac lapidei, omni momento avolant, dum vis naturæ eadem multiplicat, conservat, ac destruit. Ex unione in moleculerum tam diversarum, specificus saepe character aëri imprimitur, nunc uni vel alteri creaturæ noxijs, ut patet ex morbis epidemicis hominum, equorum, canum &c. Sed præter occultum aëris vitium, datur etiam manifestum, ex qua lues bovilla nasci potest, nempe transitus repentinj ex calido in frigidum, ex humido in siccum, vel econtra. Anno ab urbe cond. 341. ex intemperie coeli raptim mutatione in contrarium facta, (ut ait Livius) pestilens omnibus animalibus aetas exceptit. Eadem aeris vicissitudines in terris nostris observatae sunt iis annis, in quibus lues epidemica boves nostros devastavit.

2. Ingesta.

Unanimis Commissariatum nostrorum opinio est, præcipuam luis bovillæ causam fuisse repentinæ aëris mutationes ex humido in siccum, unde graminum succi alienam indolem

obtinuerunt, quam vis vitæ in bobus superare, ac in bonum sanguinem mutare non potuit. *Causa mali* (ait Author observationum de lue bovilla, quæ in collectaneis Societatis oeconomicae Bernensis leguntur) *communiter adscribitur aestatis elapsa immadico calori, quæ plantas nimium exsiccavit.* Vasa plantarum nimium humectata, a calore immadico radiorum solarium subito contracta facile dehiscent, unde succi effusi ac mora corrupti rubiginem, ustilaginem, indeque varia insecta producunt, animalium valetudini maxime adversa.

Noxium quoque est infuetum pabulum; animalia, quæ succulentis plantis adsueta sunt, male valere, aut debitam magnitudinem attinere raro solent, si siecioribus, aromaticis, montanisque plantis nutriuntur, eodem fane, ac si boves ex apricis ac elatioribus locis, paludes ac grave folium habitare coacti fuerint. Ucrani populi fuos boves ad eam magnitudinem perducere nullo modo valent, quam Hungari acquirunt, iudeique in Carnioliae montibus ubique minores, quam in humilioribus eiusdem provinciæ locis, eadem de causa.

Noxium quoque pabulum subministrant pecoribus pascua nostra publica, quamdiu in eo, qui nunc viget, miserrimo statu persistunt. Bos ob maxillam superiorem edentata in, non solum obiter cibum masticat, sed & plantas

maiores eligit, quas longius a radice, ac solent oves & equi, dentibus abscindit. Cum vero in pascuis sterile solum exigua tantum graminum folia proferat, dum plantae maiores ab ungulis dentibusque aliorum animalium destructæ fuerunt, quomodo esurientibus fatigatisque bobus idoneum dabit alimentum? pascua publica sunt etiam ea loca, ubi boves exteriores ab itinere lassi quiescere ac cibo refici solent. Iam vero si unicus tantum inter eos fuerit, pestifera lue vel leviter infectus, gramine pariter veneno illo inficiet, quibus corpore incubuit, quasque attigit ore. Sic indigeni boves, quamquam sanissimi, si eas herbas gustaverint, contagium contrahent, illudque cæteris communicabunt. Veritatem hanc in Styria A. 1765. tristissimo exemplo vidi mus confirmataim; dum enim nequam mercator, ut telonia evitaret, boves suos per semitas alpium æstivo tempore pelleret, morbo, correptos in pascuis alpinis ea occidere coactus fuit. Brevi post Styriaci boves, qui eadem loca adierunt contagio affecti omnes perierunt.

3. Exercitatio.

Mammalium omnium fluida motu nimis agitata aliena vasa facile subeunt, & in alcalinam acrimoniam degenerant. Iam vero si boves fervido soli expositi, longum iter insti-

tuunt, facile omnino est, ut humores nimis motu perciti, alienam indolem acquirant, stagnent, putrescant, sicque morbos acutos & contagiosos disseminant, et si in iis locis, in quibus empti fuerunt, sanissimi fuerint. Quod si summo hoc in æstu frigidorem aquam affatim hauriant, mirum sane non erit, perniciissima mala inde nasci, præsertim cum bruta hæc aliunde minus transpirent, ac crassiore sanguine gaudeant. Mixtus cruentus ab hac causa sæpe provenit, quem nostri herba Chelidoni pinguedine mixta, ac intra œsophagum animalibus intrusa, feliciter sanant.

II. Politicæ:

1. Sal commune nimis pretiosum.

Ad promovendam in bobus digestionem, sale communum nil præstantius reperitur; hoc enim tenacem ingestarum stirpium substantiam destruit, maiorem salivæ ac humoris gastrici copiam colligit, suoque acido putredini resistit. *Muria* (inquit Doctiss. *Bertrandus*) appetitum excitat, animalia a pluribus morbis præservat, præsertim in Regionibus a mari dissipatis, ubi plantæ minorem salis communis copiam fovent (Colletti. Bern.). Sapienter *Sullyus* multis in locis damnat illos, qui pretium salis augere, sicque rusticos ab emenda prouis bobus tam salutari medicina, deterreto, non dubitant.

2. Servitutes.

Eas unice hic intelligo, quæ Dynastis, aut communitatibus a subditis præficiæ, boves ea demandant, ubi aliqua luis suspicio esse potest, & tamen sana quam infecta animalia simul convenient. Aliunde hæc servitia subditorum, quæ a nostris Rabotæ vocantur, rei agrariae suminopere noxia esse nemo dubitat, qui perpendere voluerit, ita boves mirum in modum delassari, sumum dispergi, agricultas e suis ædibus evocari, bona eorum diminui, eamque lædi libertatem, sine qua ager rite coli nullo modo potest.

3. Arbitria.

Peccant illi, qui lue bovilla grassante, macellariis libertatem donant, ea Regiones adeundi, ubi dictum malum viget. Severis id legibus prohibendum ubique foret, etiam si caro majori pretio venderetur. Quid prodest reipublicæ favor ille arbitrarius, mercatorum querundam utilitatem proinovens, dum patria fatali luis incendio misere devästatur. Propria commoda querere, ac reipublicæ obliuisci, summum scelus, summa perfidia est.

III. Morales.

1. Lucri famæ.

Hæc A. 1765 in Ducatu Styriae lucim illam introduxit, quæ etiam anno clauso circa Prugg,

Dirnberg, Seckau, aliaque loca sœviit. Idem contigit in Italia A. 1713, teste Lancisio, dum ait: quidam callidissimi mercatores a consulari via digressi per diverticula boves quamplurimos peste contactos in hasce regiones introduxerunt, nostrisque bobus, sanis cæteroqui ac vigentibus permiscuerunt, unde factum est, ut gravissima contagionis semina in agris nostris primò dispersa fuerint.

2. Mens effrenis.

Politici corporis illibata sanitas sine inperturbata adfinitate inter divinas humanasque leges subsistere nullo modo potest. Date ea quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo. Summum ius soli innixum potestati, liberrimus cogitandi modus, religioni contraria sapientia, publicam felicitatem evertunt, calamitates adferunt, & rempublicam destruunt. Bella, famæ, pestis, aliaque divinæ iracundiæ flagella timenda sunt ab illis, qui seposita charitate, nihil vident, nihil amant, nisi seipso. Hæc radix, hic fons omnium malorum: *Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boves, & oves pestis valde gravis.* (Exod. 9. v. 3.)

3. Inscitia.

Lethargo hoc sepulta mens, debilis erit, inœulta, & inefficax semper. Culturæ artium scientiarumque Europa vires suas debet. In-

dustria ac philosophia, sunt duo cardines quibus publica salus unice innititur. Inter causas huius bovillæ numerandus quoque est defectus eorum hominum, qui ratione & experientia edocisti, pecorum ægritudines sanare norunt. Medici equidem ægros boves adeunt, cadavera aperiunt, sed experimentis destituti, quæ remedia aptare debeant, sæpe ignorant; sic malum perseverat, crescit, & nulla arte coercitum, pro lubitu debachatur.

Articulus 3.

M V T A T I O N E S.

In Salutem.

Inter centum boves, qui in terris nostris luem contraxerunt, vix decem sanatos fuisse vidimus, eos nempe, qui

1. Ultra octiduum vitam protrahebant.
2. Copiosam ex ore salivam fundebant.
3. Quibus oculi flavam materiem plorabant.
4. Tuores in cute nati, sanitatem multis adtulerunt.
5. Ut & mutatio morbi in aliud morbum.
6. Minus pericitabantur tauri, vaccæ abortum passæ aut lactantes, nec non boves debiles, macri, & adulti.

In Morbum.

1. In mictum cruentum 3, 4, 5, 6 die.

2. In fluxum alvi colliquativum, iisdem diebus.
3. In cutanea ulcuscula semper salutaria. *Hückel.*
4. In decubitus ad artus plerumque salubres: evadere consueverant, si factio ad natas & ad crura decubitu, ne libere possent incedere, prohibiti fuissent. *Lancis.*

In Mortem.

1. Si sanguis cum stercore & urina prodibat.
2. Si alvi fluxus colliquatus, foetidus.
3. Respiratio difficillima, cum foetida exspiratione.
4. Abdomen valde inflatum.
5. Appetitus integre abolitus.
6. Situs perpetuo decumbens.
7. Magis periclitabantur boves pingues, alacres, ac juvenes.
8. Facilius etiam peribant in stallis, quam sub diu relicti.

Quæstio 1. An inflammatio pulmonum pro morbo primario semper agnoscenda sit?

Verum est quidem: originem peripneumoniaci mali (ut ait Cl. Hoffmannus M. R. V. S. 2. C. 6.) etiam esse posse ex primis viis, si stomachus flatibus & spasmis detinetur, qui

sanguinem nimia copia ad partes superiores, imprimis thoracum, urgent; cum vero ex tali causa nata lues non uno impetu, sed sensim adoriatur, & distentio abdominalis, appetitus abolitus, aliaque symptomata læsæ digestio- nis, antequam inflammatio oriatur, se prodere debeant; in nostris autem bobus appetitus paucis ante mortem diebus evanuerit, ac putredinis, suminique caloris signa, sub initium morbi apparuerint, probabile videtur, pulmo- num inflammationem esse morbum prima- rium, læsam vero digestionem pro secunda- rio, seu, ut Medici vocant, pro symptomate, habendam esse. Læsa itaque digestio non est proxiima causa luis, quæ prioribus annis apud nos sœviit, sed effectus pravæ qualitatis alimen- torum, ut antea dictum fuit, quæ causam oca- sionalē febris constituit, sanguine nempe ad stases in minoribus vasis constituendas ita disposito. Non ergo errabit, qui dixerit bo- ves nostros, duobus morbis distinctis, eodem tempore correptos fuisse, læsa videlicet dige- stione vitio pabuli, & inflammatione pulmo- num a miasmate specifico, quo cumque modo iisdem communicato.

Quæstio 2. An omnis status viscerum nonna- turalis in cadaveribus observatus, prægresso morbi adscribi debeat?

Solent passim homines, iuxta ea, quæ in cadaveribus obseruantur, de statu morbi iudi-

care; quam vero fallacia sint eiusmodi iudicia, quisque facile intelliget, qui perpendere voluerit, quam mire mutari vasa & viscera possiat, quoties liquida inquinata & corrupta se produnt. Sanguis niger, grave olens non causa morbi, sed mortis effectus est; disrupta vasa non durante morbo, sed aucta putredine & abolito post mortem solidorum elatere fuisse vero similius mihi sane videtur; idem dicendum de maculis gangrenosis, quæ a sanguine post mortem pariter stagnante non raro oriuntur. Neque minus errarunt illi, qui viso omaso ab ingestis adhuc crudis infarcto, causam mali proximam hanc unice arbitrati, validissima purgantia ægris animalibus instruerunt, unde febris indubie audita, ac ea etiam morti tradita fuerunt, quæ vi vitæ, aut alia methodo adhibita forte sanari potuissent.

Articulus 4.

REMEDIA PRÆSERVATIVA.

Quemadmodum causa (*Artic. 2.*), ita & remedia præservativa alia sunt Physica, alia Politica, alia denique Moralia. Prima dictat nobis experientia, secunda legislator, tertia religio.

I. *Physica.*

i. Phlebotomia.

Quamprimum vel minima suspicio est, con-

tagio infectos fuisse boves, venæ sectio protinus administranda est, & omni secunda aut tertia die, ter repetenda. Qualibet vice sanguis copiose & eousque emittendus, donec animal præ debilitate pedibus insistere non possit. In prima venæ sectione sanguis exit calidus, nigricans, sero destitutus, & rubra spuma tectus; in secunda consistentiam & coloriem meliorem habet; in tertia vero iam ruber est, ac debitam seri copiam ostendit. Talis sanguis si in secunda venæ sectione colligitur, tertiam non indiget, si vero in tertia prævæ notæ sanguis exeat, quarta repeti potest. Cavendum vero ab hac operatione, quoties vel minimum incipientis luis signum iam adest, tunc enim nata iam inflammatione, missis sanguine vires minuantur, ac interitus sine dubio acceleratur.

Utilissima quoque venæ sectio est in iis boibus, quibus sanguis, a longo itinere ac nimio motu agitatus, stases ac putredines minatur.

2. Sal commune & nitrum.

Sal commune digestionem accelerat, crassos humores attenuat, excretiones promovet, putredinem arcet. Detur itaque quotidie boibus sal hoc purum, vel solutum in iusculis, aut fœno mixtum. In maritimis regionibus sufficiunt herbæ salæ, ut Kali, Chenopodium maritimum. Salsola, aliæquæ similes.

Nitrum quoque pecoribus cornutis, præser-
tim grassante lue, perpetuo salubre est, tam ob
viam propriam antiphlogisticaim, quam ob sal
commune, a quo a nostris integre nunquam
depuratur. Obiicient quidem aliqui, pretio-
sum esse nimis hoc genus salis quam ut pau-
peres id emere ac bobus dare queant; sed
ego modum tradam, quo sal hoc ubique &
absque magnis sumptibus parari potest; post-
quam rusticus finium certo in loco quotannis
aggestum in agrum transtulit, humum erruat,
sub tecto reponat, viva calce misceat, & omni
triduo revolvat. Sic tractu temporis ex cu-
jnulo hoc sal quoddam efflorescet, quo viso
salina huius terræ substantia in aqua calida
solvi, & lixivium evaporari debet eousque, do-
nec in loco frigido crystallos constituat. Scio
equidem ius nitrum parandi, in quibusdam
regionibus, esse mere privativum; sed & scio
salis communis pretium aut leve esse debere,
aut dandam rusticis libertatem nitrum paran-
di, quo boves felicius alere ac conservare
queant: *Quod si sal evanuerit, in qua salie-
tur?* Matth. V. v. 13.

Inter salina remedia præservativa numeran-
dum etiam est fel vitri, quo Helveti quidam
utiliter nunc etiam utuntur. Substantia hæc
ialis alcalini insignem copiam fovet, quod la-
xas omasi fibras stimulat, & acidum a læsa di-
gestione natum feliciter absorbet.

3. Amaricantia.

Scio nonnullos, tempore suis dedisse bobus, loco aquæ communis, decoctum Absynthii, Cardui benedicti, Salviæ, ac similiūm, quæ bibere quidem sub initium detrectabant, donec necessitate compulsi iisdem uterentur, eo cum successu, ut ii soli a lue fuerint præservati, qui hac methodo tractabantur. Amara hæc remedia bilis vices agunt, mucum attenuant, heterogenea ex alvo pellunt, & solidis partibus robur conciliant, ut crassi humores facilius solvi queant.

4. Alia Remedia præservativa.

Cl. Bourgelat in *Malide Anginosa*, sequentibus utiliter usus est.

Theriacæ vel Orvietani	Drach.	3.
------------------------	--------	----

Caryophyll. arom.	—	1.
-------------------	---	----

Cinamomi	—	1
----------	---	---

Piperis	—	2
---------	---	---

Zinziberis	—	1
------------	---	---

Baccarum	—	
----------	---	--

Nux moschata mediocris magnitudinis.		
--------------------------------------	--	--

Pulverisata & mixta infundantur cum mensura una, seu libris duabus aut tribus vini rubri generosi. Post sex horas summenda sunt omnia hæc ab animale, quod ante per quinque aut sex horas nullum pabulum adsumpsit.

In Dominio *Blankenstein* Ducatus Styriæ, sequens remedium præservativum in primis commendavit.

Cretæ Coloniensis albæ libr.	$\frac{3}{4}$
Piperis longi	$\frac{1}{2}$

Fiat pulvis, de quo dabantur tauro grana triginta quinque, bovi triginta, vaccæ viginti quinque, vaccæ gestanti viginti, vitulo decem aut quindecim. Dabatur cum pane, aut butyro quavis tertia die, ea conditione, ut animal per duas horas a sumpto pulvere nihil comedat. Sic continuabant per dies octo; altera vero hebdomada medicamine opus non erat, sed tertia denuo ingerebatur idem pulvis, ut prius.

Doctissimus *Hallen*, Professor Berolinensis, in Præfatione ad Historiam animalium, circa modum præservandi boves ab omni lue, hæc habet ex rescripto regio desumpta: Iuratæ personæ in omni loco constituendæ omnino es-sent, quæ animalia in stallis quotidie visitarent, & quamprimum vel minima luis signa se produnt, superioribus denunciarent. Nota itaque hisce viris deberent esse symptomata luis incipientis, nempe fluxus materiæ ex oculis & naso, tremor totius corporis, frigus capitis & auricularum, hæ ipse præter morem pendulæ, lactis defectus, imperfecta ruminatio, stertor, fitis, strepitus iuncturarum, dum animal move-tur, alvi obstructio cum subsequente fluxu li-quidæ substantiæ ad aliquam distantiam e cor-pore expulsa. Ubi signa hæc apparent, de-bent boves in eam stallam transferri, in qua

equi prius erant, & econtra, cum effluvia unius individui effluviis alterius corrigendis aptissima sint. Dein sana animalia ab infectis separanda, factoque divertio iisdem vena in collo secanda est. Hoc facto post aliquot dies, datur omni mane una dosis pulveris huius in aqua, vel pauculo aceto, dein per aliquot tempus sine omni relinquitur animal.

Nitri depurati libr. 2.

Cornu cervi usci — 1½

Camphoræ — ½

Ex his simul commixtis fit pulvis, cuius dosis est uncia semis. Præterea omni vesperi datur bovi poculum acetæ cerevisiæ, cum cochleari uno olei olivarum; sicque pergere oportet quousque viget morbus. Mane & vesperi fricandum etiam est animal, ut transpiratio, & circulatio sanguinis promoveatur. *Ludovicus Hückel*, in *Tractatu suo de Morbis Boum'*, sequens remedium præservativum in primis commendat.

Bacc. Sambucci.

— Sorbi aucupariæ.

— ana libr. 3.

— Lauri — unc. ii.

Gentianæ rubræ.

Rad. Levisticæ.

— Vincetoxici.

Sem. Apii Macedon. ana unc. j.

Nitri depurati. lib. 3.

Simul omnia redigantur in pulverem, qui boves, capras, oves, sues & equos a morbis epidemicis egregie præservat.

II. *Politica.*

1. Contumaciæ.

Valetudinem generis humani ac animalium domesticorum politicæ maioris minorisque leges ubique tuentur, ac iubent, ut animalia, ac homines etiam, qui a regionibus lue infectis adveniunt, determinatis in locis, per aliquot dies, aut hebdomadas morari debeant, donec deposita omni contagii labe, ulterius liceat proficisci. Erigenda itaque, hunc in finem, ædificia, in confiniis provinciarum, nec ex Hungaria aut Croatia, si lues ibidem grassatur, boves ullos admittere oportet, nisi prius, mora facta, constet, nulla contagii labe eos esse inquinatos; nullum enim æs a summo principe melius inpenditur, quam, quod subditos eorumque bona tuetur.

2. Separatio ægrorum animalium a sanis.

Inter alia præservativa remedia in lue bovilia, tam a legibus Austriacis, quam a Silesiaco Generali, in primis commendatur tempestivum divertium infectorum animalium a bene se habentibus. *Cum pestilentia in gregem incidit (ait Columella) confessim mutandus est*

coeli status, & in plures partes distributo pe-
core longinquæ regiones petendæ, atque ita se-
gregandi a sanis morbidi. Hinc fani boves in
stallis detinendi sunt, & ne quideim ad aquas
pellendi, quas alii potare solent; unicum
enim (teste Lancifio) certumque præsidium ad
luem antevertendam in eo situm est, ut sanos
atque integros tum ab ægris bobus, tum a re-
bus aliis simili tabo contaminatis, quam diligen-
tissime tueri. In nonnullis Carnioliae monta-
næ locis ægra animalia stallis includebantur,
dum fana die noctuque in agris & silvis discur-
rebant.

3. Cadaverum sepultura debito modo,
 suisque in locis inslituta.

Mortuorum cadavera (inquit Gesnerus) ul-
tra fines villæ proiicienda sunt, & altissime ob-
truenda sub terris, ne forte ipsorum corporum
halitus interna sanorum contingantur & per-
eant. Cavendum itaque, ne in fossis, paludi-
bus, aquis, aut lacubus eadem proiiciantur, aut
obiter tantum, & prope domus sepeliantur,
sed ea prius in frusta consciissa, & viva calce
adspersa in foveis, quarum profunditas septem
aut octo pedes ad minimum habeat, longe ab
ædibus ac stallis terræ tradenda sunt, ne ca-
nes, vulpes, lupi eadem extrahere, sicque con-
tagium disseminare queant. Iam vero quæ-
stio hic occurrit, an liceat prius coria detra-

here & iis uti, vel una cum corio debeant sepelii. Ill. Archistrorum Princeps L. B. van Swieten, in Epist. ad D. Iosephum Knee, ad finem meum, & Physicum Rudolfbergensem conscripta, hac desuper ita iudicat: *coria non spargunt contagium; certus sum.* Hinc in Styria Juasi ante aliquot annos, ut miseris relinqueretur hoc solamen, quod & factum fuit. Eadem est Itali amici mei opinio, dum ait: *la pelle non recca dauno alcuno, & il grasso adoperarsi liberamente per far candelle, quando sia stato prima cotto e purificato all'aria aperta; e ciò per esperienza certissima.* Idem observationibus suis confirmavit Ill. Marchio de Curtivon; ut enim certus esset, an pelles eiusmodi contagium spargant, sanos boves hilce coriis totos tegere voluit, eademque sub aquis, quas bibere quotidie solebant, studio demersit, & tamen nec minimam quidem noctam sanis animalibus inde illatam vedit, inde que conclusit, coria hæc tuto detrahi, & possessoribus dari posse. Verumtamen contraria alii sententiam tenent, ac volunt, cadavera animalium lue extintorum una cum corio terra obrui debere, quod & factum in Italia, Borussia, aliisque locis non paucis. Quid ergo statuendum? media via hisce in casibus, meo iudicio, tenenda, & si statim post mortem cadaver valde fœteat, ac contagium etiam ab illis, qui corpora hæc aperiunt, ulterius propagatur, tunc una cum corio sepelienda, si

verò non ingens fœtor adeſt, nec viscera valde corrupta ſunt, tunc poterit corium tuto detrahi, ea tamen conditione, ut longe ab ædibus per aliquot hebdomadas aeri libero exposita iaceat, nec statim, ut detractum fuit, domibus importetur.

4. Laniariorum reformatio.

Superius demonſtratum fuit, aliisque exemplis paſſim conſtat, luem bovillam a lanionibus & mercatoribus introductam fuiffe, dum propriæ utilitati unice intricans & ſordidum hoc genus hominum, infectos boves leviore pretio coemptos introducere, & fanis commifcere non dubitarunt. Quamobrem reipublicæ ſaluti apprime conſultum ſane foret, ſi provinciæ, urbes, aut ſocietates, emerent boves, factaque in confiniis contumacia, iis macella publica providerent; laniones vero ſtipendio ducti, & cauione muniti, ſingulis mensibus exactum venditæ carnis rationem darent. Cum vero & vitulis, hædis, capreolis, & urbes indigeant, ſic obligandi rusticorum ſuperiores, Supani dicti, ut quavis hebdomada vitulos & haedos intra confinia provinciæ natos, ad laniaria deferrant, interdicta, quovis tempore, exteris hominibus eorundem venditione.

5. Favor erga illos, qui copiosos alunt boves.

Ut hoc obtineatur, neceſſe eſt

1. Ut tenue sit pretium salis communis.
2. Præmia constituere illis, qui maiorem numerum boum bene saginotorum ad nundinas pellunt.
3. Societas œconomicas constitueret, quæ boves alant, & genuinum alendi modum rusticos edoceant.
4. A gravi iugo realium ac personalium servitutum subditos liberare, dempta enim libertate manca erit semper agricultura & animalium alimonia.
5. A rustica conditione luxum, ebrietatem, otium, aliaque scelera magis familiaria, apta educatione, præmiis, ac pœnis avertere.
6. Impedimenta omnia, quæ hoc opus morantur, sedulo removere, quarum præcipua sunt, indebita proportio inter agros, campos, vites, sylvasque; pascua male culta; consuetudo inveterata.

III. *Moralia.*

Memores semper, divini consilii nos esse decet: *invoca me in die tritulationis, eruam te, & honoris eis me.* Imitandum itaque exemplum S. P. Clementis XI, qui grassante bovilla peste: *ad supremum misericordiae patrem,* (inquit in concess. indulgent. 14. Octob. 1713) *illum scilicet, qui laboribus hominum etiam de-*

mutis animalibus solatia subrogavit, toto corde clamavimus, Et adhuc elata magis voce clamare non cessamus, ut sine quibus non alitur humana conditio, nostris faciat usibus non perire.

Articulus 5.

R E M E D I A C V R A T I V A.

Dolendum sane, nullum, quod luem bovillam certo sanet, specificum remedium hactenus detectum fuisse. *Candide fatemur, (ait etiam doctiss. Lancisius) nullum unquam verum, certum, validum, ac specificum præsidium compertum esse; pleraque vana, multa noxia, pauca alicubi utilia occuruisse.* Quod sane operæ pretium esse arbitramur, ut id omnes norint, atque ut nostris etiam posteris praesenti commentario significetur. Quidquid sit tamen ea remedia fideliter dicam, quæ contra luem bovillam in terris nostris, paucis ab hinc annis feliciter adhibita fuerunt, additis selectioribus nonnullis, quæ ab aliis proposita dataque leguntur.

Methodus I.

Ante omnia vena aliqua maior in collo aut ventre secanda, eaque sectio bis ac ter etiam repetenda, ita tamen, ut matutino tempore, aut post meridiem celebretur. Dein potio paranda, hordei mensura in octo mensuris

aquæ per horæ dimidium cocta, addita in fine uncia una nitri. Decocti huius colati, & cum aceti semimensura, nec non mellis quarta mensuræ parte commixti, dimidia quantitas miscenda cum aqua, quæ ægro bovi pro potu datur, ut intra viginti quatuor horas tota decocti quantitas assumpta fuerit.

Obseru. 1. Omnia hæc humores diluunt, attenuant, cohærent, hinc appriime laudanda, si lues a nimis ægitato ac æstuante sanguine, suam originem traxerit.

Obseru. 2. Cavendum vero a sectione venarum, si iam tussis & stertor adest; tunc enim heroico hoc remedii genere, transitus inflammationis in gangrænam & sphacelum certo certius promovetur.

Methodus 2.

Uncia semis cinerum clavellatorum (German. *Pottasche*, Italis vero *Lumecatina*,) solvatur in aqua calida, & vesperi una cum farina detur ægro animali. Sequenti die additur priori dosi adhuc drachma una dicti salis, sicque per 3, 4, 5 dies augetur quantitas eiusdem, donec uncia una fuerit; dosis hæc conservatur, daturque quotidie, donec animal convalescerit.

Obseru. 1. Proprietas alcalinorum est acidiūm absorbere, indeqne in sal neutrum mu-

tari, quod mucum in primis viis attenuat, & digestionem promovet. Si vero putredinis signa iam praestò sunt, tunc a salibus alcalinis eandem promoventibus omnino abstinendum est.

Methodus 3.

Detur omni mane cochlear unum pulveris pyrii, cum butyro, melle, lacte sano, vel aqua tepida.

Observ. 1. Pyrius pulvis in forma sicca, vix aliquid boni praestat cum omasus sicco ac indigesto pabulo infarcitus, humore careat, quo pulvis ille solvi, & ita vires suas exercere valeat.

Methodus 4.

Fricanda quotidie lingua linteo, quod nitre in aceto vini soluto, probe fuerit humectatum; dein detur bovi uncia una nitri depurati, ac in pollinem redacti.

Observ. Frictione hac venenum a nobilibus locis ad ignobilia revocatur, nitrum vero phlogosim temperat.

Methodus 5.

Animalia, in quibus cystis fellea a contento humore ultra modum extensa est, tremere plerumque solent. Ubi symptoma hoc apparet, tunc os animalis vi intrudendum intra

sacculum, in quo pultes ex sem. Lini, in lacte una cum paucō melle coctis facta, fuerit collocata.

Observ. An inflammatione pulmonum ab hac methodo abstinentum.

Methodus 6.

Omni mane detur bovi sterlus humanum, ad magnitudinem nucis avellanæ; dein manipulus lupuli in aqua cocti & expressi una cum decocto in fauces intrudatur. Præterea mane & vesperi, per aliquot dies, per bihorium circiter, ab assumpto remedio, ab omni pabulo abstinere debet animal.

Observ. Alcali volatile, & saponacea excrementorum substantia, laxas primarum viarum fibras erigit, viscida attenuat, excretiones follicitat.

Methodus 7.

Boli Armenæ

Nitri ana unc. iiii.

Rad. Gentianæ. j.

Piceæ fuliginis caminorum unc. ii.

M. F. pulvis, de quo cochlear unum, mane & vesperi, cum duabus partibus aquæ, & una aceti, dari debet. Stragulis etiam tegendum est animal, ac decocto farinæ, cum furfuribus triticeis, addito paucō aceto, quotidie potandum est.

Observ. 1. Boli nerveas primarum viarum tunicas tuentur a stimulo humorum acrum & corruptorum; gentiana vero amarisissima & aromatica stomachum roborat.

Observ. 2. In lue, quam densitas humorum comitatur, potu copioso nihil praestantius est, addito aceto, quod egregie resolvit, & putredinem arcit.

Methodus 8.

Prima die detur drachma una antimonii, cum butyro, aut alio quocumque modo; altera die adde grana triginta, & sic porro, usque ad semunciam, quæ dosis servanda, usque ad convalescentiam. Post adsumptum antimonium exercitandum est animal, dein in stalla calida detineendum.

Observat. Antimonium quoque crudum agere in corpora animalium, demonstrat experientia, an vero id proprio pondere, an stimulo mechanico partium angulatarum, an vero portione aliqua regulinæ substantiæ ab humoribus specificæ naturæ, a sulphurea separata id contingat, non facile iudicium est.

Methodus 9.

Antimonii	lib. j.
Nitri	— $\frac{1}{4}$
Tartari	
Sulphuris ana unc. ij.	

F. pulvis, cuius bina cochlearia, una cum pane, matutino tempore ingerenda sunt, infundendo postea cochlear acetum, quo assumpto per dimidiam horam motu continuo agitandum animal, dein per bihorium in stalla calida sine cibo detinendum. Vaccæ datur unciam cochlear, vitulo vero dimidia eiusdem pars.

Obseru. 1. Certum est, Sal commune, Nitrum, Sulphur, Antimonium &c. debito modo & tempore adhibita, inter remedia morborum bovilli generis, principem locum habere. Gressel.

Obseru. 2. Præsidia hæc vires erigunt, putredini resistunt, humores attenuant; inferviunt etiam scopo præseryativo, quo in casu dimidia dosis sufficit.

Methodus 10.

Bos infectus iuxta spinam dorsi, & ad iuncturas, obliniendus petreolo, cui pauca quantitas bituminis Iudaici addita fuerit. Eadem mixtura obducenda undique superficies interna oris & faucium. Præterea stalla fumiganda bitumine dicto & paucō sulphure, aut pulvere pyrio.

Obseru. Hac methodo plurimi boves servati fuerunt, nec fallit unquam, dummodo animal obductam petreolo cutim lingere ac detergere incipiat. Mira vis latet in bitu-

minibus fluidis pro sanandis morbis epidemias bovilli generis.

Methodus II.

Ill. L. B. van Swieten, in citata *Epist. ad D. Doct. Knee*, sequentein curam in lue bovilla propusuit.

Lues epidemica bovin est, quæ iam per 15 annos & ultra apud Batavos grassatur, & in diversis Europæ locis pululat, variis tentatis modis, sed non multo cum successu.

Simul ac prima morbi signa sunt, (caput nempe pendulum, oculi tristes, cessans ruminatione) suaderem ut daretur sequens.

Vitrioli albi unc. 3.

Mellis — iiij.

Aquæ puræ libr. iij.

Per infundibulum in fauces infundatur mane. Potus copiosus tepidus ex decocto furfurum. Repetitur idem remedium per tres dies.

Hæc dosis pro vaccis adultis, pro iunioribus debet minui.

Notandum, quod adulto morbo noceat.

Potus copiosus deinde solus, addito aceto, vel & decoquendo cum furfuribus acidos fructus.

Observ. I. Vitriolum valde stimulum, motum peristalticum promovet. Mel crassos

humores attenuat, acetum vero putredini
reflxit.

Methodus 12.

Doctiss. Hallen. l. c. circa curam luis bovili-
æ, hæc habet.

*Animalia infecta & a sanis separan-
da, iisque quotidie, mane & vesperi dandus
pulvis hic resoluens.*

Nitri puri libr. $\frac{3}{4}$

Crenor. Tartari — $1\frac{7}{8}$

Camphoræ unc. vi. *Dosis sunt*
drachmæ quinque.

*Durante morbo nullum pabulum dari debet,
sed sufficit manipulus avenæ, vel hordei in aquæ
pinta coctus, ac tepide assumptus. Circa me-
ridiem infunditur una quarta pars, aut sexta
quartæ aceti cerevisiae fortioris, cum binis
cochlearibus olei lini. Incipientem alvi obstru-
ctionem sanat uncia dimidia Rhei manachorum
pulverisati, cum pari dosi nitri, & decem
cochlearibus olei lini mixti. Aer in stallis cor-
rigendus vapore ebullientis aceti &c.*

Obseru. I. Mira olei expressi vis in elimi-
nandis e corpore mammali particulis hæte-
rogeneis primarum viarum. Praclaros
etiam in hominibus præstat effectus, suis in
casibus & apta dosim datum, ut sæpius
expertus sum.

Obseru.

Observ. 2. Felices sunt illi, qui camphora, in morbis acutis, prudenter utuntur, ac veniet dies, quæ specificas eius vires revelabit.

Methodus 13.

In malide anginosa sequentia remedia passim laudantur: *Lingua, eosque fricanda, donec sanguinem fundat, & vesicula integre ablata fuerit, quod lamina argentea, manubrio instructa perficitur.* *Per alia frictione hac, nova instituitur ope lintei aceto humebati, in quo prius infusum fuerit allium, piper, juligo, vitriolum cypriani, alumen & camphora* (*Collect. Bern. 1764. II. p. 194.*)

Observat. Hac methodo plurimi boves in Tyroli ac Italia A. 1733 servati fuerunt.

Expositis remediis, quæ bono cum successu interne data fuerunt, iam illa proponam, quæ externe applicata, pulchros pariter effectus exerunt. Observatum fuit boves illos plerumque evasisse, quibus ulcera aut vesicæ in cute apparuerunt, seu materies morbifica ab internis visceribus ad exteriore parts amandata fuit. Si ergo eo ducere oportet, quo vergit natura, nullum est dubium, criticam hanc metastasim, externis quoque auxiliis esse promovendam. Practici huius canonis veritas etiam in bobus confirmari potest, vulgari eo morbo, qui animalia hæc saepius invadit, externisque remediis unice curatur.

Si bos plantas vorat acriores, nempe brassicas, ranunculos, aliasque similes, vel in stalla valde immunda diutius detinetur, appetitum primo amittit, dein tristis, ac auribus pendulis, humi procumbit. Iuxta vertebraes dorsi cutis valde laxa videtur, & si manu compressa fuerit, insolitus latentis materiæ strepitum ac motum patefacit. Ubi symptoma hoc apparet, nulla mora interposita, secunda cutis prope caudæ radicem, vel sub abdomine, unde magna icoris purulenti copia fluit. Hoc factio percutitur vulnus virgula eousque, donec sanguinem fundat, vel fricatur sale axungia veteri mixto. Sic vulnus intumescit, & in cauterium degenerans, purulentum humorem per duos tresve dies fundit, sicque ægrum animal pristinæ redditur sanitati.

Quamprimum ergo vel minimum suscepiti contagii signum se prodit, utile fane foret, si pluribus in locis cutis secaretur, & vulnus radice hellebori nigri apertum servaretur, ut venenum ab internis partibus ad externas trahi possit.



III. OBSERVATIONES

ALIQUÆ

DE CÆRVLEO BEROLINENSI, ALIISQUE LACCIS.

Cæruleus hic color, a pictoribus nunc adeo quæsitus a *Dippelio* primum inventus, dein in Anglia a *Wodwardo*, postea in Galliis a fratribus *Geoffroy*, *Maguer*, *Mennon*, denique alibi a multis præparatus fuit. Ad hanc præparationem tria in primis requiruntur, nempe 1) Lixivium sanguinis, 2) Alumen, 3) Terra ferrifera.

I.) *Lixivium sanguinis*, iuxta Cl. Marggraffium ita paratur. *Una pars salis tartari depurati*, vel *salis tartari extemporanei puri*, *quod ex tartari & nitri æquali copia per detonationem paratum fuit*, aut alterius alcali, *undecimque nati*, ac *purissimi*, cum duabus partibus sanguinis bovilli exsiccati & pulverisati miscenda est. *Mixtum hoc in crucibulo*, ea quantitate locatum, ut duæ tertiae eiusdem partes eo plenæ sint, *calcinatur eousque*, donec nec flamma, nec fumus amplius adscendat. *Dein portio eius aliqua e crucibulo educatur*, lixivium inde fiat, ac observetur, an hoc flavescentis coloris sit, & argentum in forma pollinis fusi aut nigricantis ex aqua forti præci-

pitet. Si phænomena hæc apparent, tunc tota massa iam satis calcinata e crucibulo eximitur, & quamprimum refrigerata fuit, lixivium inde cum paucissima (si fieri potest) aqua conficitur. Sic paratum lixivium filtratur, conservaturque. (Script. Chym. VI. §. 8.)

Alii lixivium hoc aliter parant, & quidem

Primo: Libræ tres tartari rubri, sex sanguinis bovilli siccii, libræ tres argillæ, libra una & unciæ octo nitri secundæ crystallisationis, simul mixtæ & pulverisatæ ponantur in crucibulo, sub quo ignis gradatim excitetur. Postquam massa hæc sat fortè quatuor horarum ignem sustinuit, & pastaceam ferre indolem acquisivit, e quo nullus fumus amplius exhalat, transferatur cochleatim in sufficieni quantitate aquæ ebullientis, ac lixivium hoc colatum servetur ad usum.

Secundo. Libræ tres sanguinis bovilli siccii, sex cinerum clavellatorum, duæ tartari rubri, & una libra ac unciæ octo nitri, in pulvere in redactæ ac simul unitæ stent in crucibulo satis ampio pér tres horas igni expositæ, & cum massa ubique ignita, ac in liquidæ pastæ formam redacta fuerit, lixivium inde extrahatur.

Tertio. Libræ tres sanguinis bovilli siccii, sex calcis vivæ recenter paratae, duæ tartari rubri, & libra una ac unciæ octo nitri ru-

dioris, breviori tempore calcinandæ sunt,
& lixivium inde parandum.

Quarto. Libræ tres sanguinis dicti, sex calcis
vivæ, duæ tartari rubri, duæque nitri, cal-
cinandæ, & lixivium hinc educendum.

Quinto. Ex libris tribus sanguinis, quatuor
ac unciis octo calcis, duabus tartari, & una
ac unciis octo nitri, lixivium aliud præ-
paratur.

Sexto. Idem fit ex libris tribus sanguinis sic-
ci, una calcis, binis tartari, & libra una ac
uncii octo nitri per tres horas calcinatis.

*Loco sanguinis adhibent aliqui ungulas ani-
malium, cornua, ac similia, unde pulchrius
magisterium nasci putant.*

Ego vero hæc observavi 1) ex sanguine
rubro omnium animalium, lixivium æque
bonum obtinetur. 2) Quodlibet alcali fixum
hic idoneum est. 3) Lixivium hoc eiusdem
prorsus efficaciæ prodit etiam ex partibus sex
cinerum foci culinarii, & duabus sanguinis
bovilli siccii; aut ex partibus quatuor sanguini-
nis, & octo cinerum. 4) Quo diutius calci-
natur sanguis cum alcali fixo eo deterius lixi-
vium, seu vilioris notæ, imo & nullum cæru-
leum inde obtinetur. 5) Cum massa odo-
rem hepatis sulphuris spargit, tunc calcinari
ulterius non debet. 6) Nec sanguis nimis

exsiccandus, sed eousque tantum, donec friabilis redditus fuerit. 7) Quando massa calcinationis tempore incipit spargere odorem penetrantem alcali volatilis, tunc statim crucibulum ex igne educendum, & lixivium inde extrahendum. 8) Elixivatio cum aqua pura nivali, aut destillata utilius absolvitur, terrestres enim particulae aliis aquis plus minus immixtæ, cæruleum colorem aliquomodo vitiant. 9) Lixivium evaporatum relinquit magma fuscum, salinum, quod fortiori igne actum, dat modicam copiam olei tenuioris empyreumatici; unde patet ab alcali fixo calcinationis tempore solvi partem aliquam olei animalis, ac saponem inde nasci in aqua solubilem. 10) Saponacea hæc substantia partem suam inflammabilem protinus dimitit, quam primum acidum vitrioli additum fuerit, quod cum alcali fixo sal medium constituit. 11) Analysis hanc alia acida mineralia non æqua facilitate perficiunt; lixivium enim cum acido salis ac nitri vix effervescit.

II.) *Alumen*, sal constans acido vitrioli & terra specifica, pura, colores omnes facile admittente. Id duplex in officinis, nempe Romanum, rubore aliquo suffusum; nec non illud quod in Austria, Bohemia aliisque locis nunc etiam paratur, nullo colore tinctum. Utrumque Cæruleo Berolinensi præparando idoneum deprehenditur. Sal enim hoc terrea

sua basi tinctorias sanguinis particulas, terræ
martiali nimia copia iunctas, invicem dis-
jungit, elongat, & quodammodo diluit, ne
lacca hæc alienum colorem acquirat.

Dofis aluminis diversa est, ac eligenda in-
primis iuxta copiam & qualitatem eorum
corporum, quibus lixivium præparatur. Si
maior quantitas alcali fixi in eo præflo est,
maior etiam copia aluminis addi debet, ut fa-
cto acidi & alcali confortio, portio inflamina-
bilis, a qua color lacceæ provenit, ab alcali fixo
secedere, & fixum principium colorare queat.
Cum vero & vitriolum martis in plerisque
processibus adhibetur, quod idem, ac alu-
men, acidum fovet, sic & huius additamenti
ratio habenda, ac probe cavendum, ne nimia
quantitas acidi vitriolici cærulei huius præpa-
rationem impedit. Pro lixivio Marggraffiano
saturatissimo, ad unam partem vitrioli tres
aluminis addi solent. In processu primo lixi-
vii eiusdem requiruntur octo libræ alumini,
totidem in secundo, quatuor vero in quarto,
quinto, & sexto. Sed, ut ubique, sic & in his-
ce, experientia rerum magistra est; saepe
enim, omni etiam adhibita diligentia, atrac-
mentum nullo modo mutabile, aut præcipita-
tum albidum, cærulei aut viridis loco, obti-
netur, si neinpe lixivium minus rite factum,
aut vitriolum particulis metallicis heteroge-
neis nimium fuerit inquinatum. Hinc pro-

cessus eiusmodi, quæ operam & oleum exigunt, non festinanter, aut iuxta formularia in libris inventa, institui debent, sed oportet prius pauca copia saepius experiri, præsertim hac ætate, in qua coloris huius optimi libra Vienensis, in portu nostro Tergestino, tribus florensis cum dimidio, divenditur, quo sane pretio ab illis unice parari poterit, qui necessaria ad hunc processum requisita levi pretio, & ex prima (ut aiunt) manu sibi comparare habere, eaque singulari prorsus œconomia invicem miscere norunt.

III.) *Terra ferrifera.* Securus affirmo, sine hac terra, cæruleum Berolinense confici nullo modo posse: Ecce mea experimenta.

Exper. 1. Solutio ferri in spiritu salis dat cum lixivio Marggrafiano cæruleum equidem paucum, nec facile subsidens, sed admodum elegans.

Exper. 2. Minera ferri hematitica in spiritu vitrioli soluta, dat cum eodem lixivio, pulcherrimum pariter cæruleum magisterium.

Exper. 3. Argilla rubra martialis montis Medæ, in Comitatu Gradiscæ, dat cum spiritu vitrioli solutionem, quæ, addito lixivio, eundem colorem præbet.

Exper. 4. Idem magisterium obtinetur ex

acido vitrioli, postquam martiales particulas ex aliis terris ac lapidibus extraxit.

Exper. 5. Ex quo experimento præsentia terræ ferriferæ in fossili quolibet indubie deducitur, telle Cl. Marggratio, Lehmanno, aliisque.

Exper. 6. Ex decem granis cærulei præstantioris, sub fornice docimastico, per trihorium ustulatis, remanent grana quatuor terræ rubro-slavescentis, quam magnes attrahit; reliqua vero grana sex volatilia facta in auras abeunt.

Certum est itaque ad præparationem cærulei Berolinensis, terram martialem omnino requiri; hæc enim tam in vitriolo, quod in hoc processu ab omnibus adhibetur, quam in aliis terris aut lapidibus, qui cum acido vitrioli & lixivio sanguinis, magisterium hoc suppeditant, nunquam non adest. Martiales quoque erant aquæ Passiacæ, ex quibus D. Cadet, cæruleum Berolinense, sine vitriolo, præparavit. (*Mercure de France* 1755.)

Monita quadam.

I. Dum cæruleum præparandum est, liquores omnes calidi esse debent, dein solutionibus salinis simul mixtis lixivium sensim adfundendum.

2. Adfuso lixivio oritur fermentatio aliqua, quæ usque dum appareat, lixivium addi debet.
3. Quandoque albidum, viride, aut nigrum præcipitatum obtinetur, loco cærulei. Prima duo continuata edulcoratione in cæruleum sæpe mutantur, nigrum vero non item.
- 4) Vidi tamen & præcipitatum album nulla arte in cæruleum mutabile, quod a nimia copia additi aluminis utplurimum evenit.
- 5 Præcipiatum quoque nigrum in cæruleum degenerat addito spiritu salis, aut & sale marino post continuatam edulcorationem; aliquando vero mutatio hæc obtineri nullo modo potest.
6. Edulcoratio in hoc processu necessaria, colorem auget & constantiorem facit.
7. Spiritus salis pulchriorem colorem magisterio huic conciliat, quam spiritus nitri.
8. Vidi præcipitatum nigrum, quod addita maiori copia lixivii, colorem sordide cinereum acquisivit a spiritu salis haudquam mutabile, bene vero a solutione martiali cum spiritu vitrioli facta.
9. Oleum quoque vitrioli, colorem nigrum magisterii, mutavit in cæruleum, si parti-

culæ martiales copiosiores, ad eius præparationem adhibitæ fuerint.

10. Cæruleum Berolinense in calore fornacis domesticæ fuscum evadit.

11. Pulchritudo cærulei a varia aquarum indole pluriuum dependet.

Ex his concludere licet

Primo. Principia constitutiva cærulei Berolinensis esse: 1) Oleum animale tenuissimum; 2) alcali volatile; 3) particulas martiales; 4) terram aluminis.

Secundo. A nimia copia terræ ferriferæ colorrem nigrum provenire eaque ab acidis soluta ac dissipata, cæruleum denuo redire.

Tertio. Superfluum quoque acidum impedit ne color cœruleus præcipitationis tempore slatim se prodat, ex quo utilitas & necessitas repetitæ edulcorationis clare patet.

Quarto. Dum terra ferrifera & aluminaris coloratur a particulis volatilibus olei animalis, eo momento, quo acidum cum alcali unitur, patet adfinitas maior earundem terrarum cum partibus inflammabilibus, quam cum acidis mineralibus; ut & acidorum cum alcalinis magis ac martialis, quam cum phlogisto; quidquid aliqui contrarium sentiant.

Observationes de Laccis aliis.

Dixi superius in præparatione cærulei Berolinensis, terram aluminis colorari a principio inflammabili ac saponaceo regni animalis. Iam vero demonstrabo eandem terram tingi quoque a phlogisto regni vegetabilis, et si hoc non semper, sed sub certis tantum conditionibus soleat evenire. Quod ut evincam laccas recensebo, tam coloratas, quam excolores, quas ex corticibus nongullarum arborum hæcenus obtinui.

Laccæ coloratæ.

<i>PYRI mali</i>	obtinui laccæ fusco-rubræ dr. i. gr. x.
<i>QVERCVS rob.</i>	rubellæ — gr. L.
<i>POPVLI trem.</i>	pallide rub. dr. i. gr. xxvi.
<i>ACERIS camp.</i>	roseæ dr. i. gr. xxii.
<i>CORYLI Avell.</i>	pallide terreæ — gr. xxxvi.
<i>PRVNI domeſt.</i>	caffeatæ dr. β. gr. x.
<i>CRATÆGI oxyac.</i>	nigricantis — gr. L.
<i>ABIETIS piceæ</i>	fusco-violac. — gr. XL.
<i>CORNI mast.</i>	fusca dr. i. gr. viii.
<i>VITIS vinif.</i>	pallide rubræ — gr. XLVIII.
<i>PINI laricis</i>	fusco-rubræ dr. i. —

<i>PINI sylv.</i>	<i>rubellæ</i>	—	gr. xxxii.
<i>TILIAE europ.</i>	<i>roseæ</i>	—	gr. xl.

Laccæ excolores.

<i>SALICIS purpur.</i>	<i>roseæ</i>	—	gr. xxvii.
<i>EVONYMI vulg.</i>	—	dr. i.	gr. x.
<i>IVNIPERI commun.</i>	—	—	gr. XLVII.
<i>VISCI albi</i>	—	dr. i.	—
<i>BERBERIS racem.</i>	—	dr. i.	gr. xx.
<i>SAMBVCCI cym.</i>	—	—	gr. lii.

Laccæ hæ pellucidæ non sunt, seu oleo lini mixtæ & super auratas rerum lignearum superficies penicillo extensæ, metalli nitorem penitus obruunt, secus ac cœruleum Berolinense, & lacca ex ligno Brasilienſi parata. Præterea colores dicti cum oleo mucilaginem enervem conſtituunt pictoriæ arti penitus inutilem. Quæ ratio phœnomeni? quare ex ligno Brasil. educitur lacca pictoribus adeo cara, ex dictis vero plantis non item? differentiæ huius cauſa, ſine dubio, eſt diuersitas principii inflammabilis etiani in regno vegetabili; hinc non omne phlogiston terras ſimplices tingit, ut in aula ſubterranea non omnia corpora composita. Quare co-

pia magisterii in quolibet individuo diversa est, et si semper eadem aqua, eademque salis alcalini & aluminis quantitas adhibita fuerit? Id sane ideo factum fuisse puto, quod alcali fixum, coctionis tempore, cum oleofis plantarum partibus plus minus unitum, ab acido aluminis ita aggredi non potuerit, ut æqualis copia terræ aluminaris ab eo secedere, & æqualem copiam magisterii suppeditare potuerit. Caveant itaque chemici, dum corpora solvunt & præcissitant, a falsis ratiociniis, ne corruat ædificium fundamento infido inædificatum.



IV. EXPERIMENTA DE MINERA AVRIFERA NAGYAYENSI.

Inter ea fossilia, quæ *Ill. Eques Ignatius Ill. a Born* benevole communicavit, est & minera quædam aurifera ac omnino singulæris, quæ in Transylvania, circa Sekeremb, non procul a Nayay, etiamnum effoditur. Specimen dono datum est quarzum albicans, cui lamellæ tenues, nigricantes, plus minus nitidæ, paßim inhærent. Magnitudo harum laminarum varia est, modo enim diametrum unius lineæ, modo vero duarum, trium aut quatuor etiam habent. Elasticitas etiam aliqua in his observatur, ac modo solitariæ, modo plures simul observantur. Quarzum dictum nunc solidum apparet, nunc vero cavernosum & quasi granulatum. Quarzo solido inhærentes lamellæ plerumque solitariæ sunt ac diversimode collocatae, dum in eiusdem cavernosa, arofa ac granulata substantia multo plures & aggregatae se produnt.

Præter hanc mineram, (referente eodem *Ill. a Born*) sequentes etiam in iisdem fodi-nis occurunt.

1. AVRVM nativum, *textura filamentosa.*

Singularis varietas, hactenus ignota, pyritem referens, faxo griseo inhærens, quæ microscopio subiecta verum aurum nativum oculis exhibet.

2. ARGENTVM nativum, *globulare.*

Arena tenuis, alba, frustum calcis extinctæ referens, in qua ope microscopii globuli argentei numerosissimi conspici possunt.

3. ARSENICVM *Risigallum.*

a) Amorphum.

Cinnaberim nativam, rudiorem emulatur, ac terra flavo-rubra hinc inde adspersum videtur.

b) Crystallatum.

Pariter rubrum, constans crystallis, polyedris, rubiniformibus, matrici sulphureæ albo-luteo-nigroque variæ insidentibus. *Risigallum pellucidum Waller.* Num. 222. 4.

4. ANTIMONIVM *striatum, striis stellatis.*

Constat spiculis tenuissimis, stellæ in modum e Quarzo efflorescentibus, quæ sine ruptum

ruptum e fodinis difficultissime educuntur.
Minera Antimonii striata, striis stellatis.
Waller. 238. 3.

Præmissis hisce, dicam breviter illa, quæ cum hac minera hucusque tentavi, pauca prorsus, nec sæculi nostri genio accommodata, cum tam raro specimine collectionem meam penitus privare nolle, nec otium, locus & favor adficiat ut eruditorum votis, meaque voluntati satisfacere liceret.

Tentamen I.

Ex hac minera igni docimastico exposita exsudant intra breve tempus granula quædam auri longe purioris, ac est nativum quodlibet in terris nostris detectum, & a me hucusque observatum.

ANIMADVERS. I. Ex Galena in furnis Cærinthiæ plumbum exsudat non argentiferum, idemque nobili metallo dives effluit ex panibus cupreis in furno eliquatorio; aurum vero nativum ex Quarzo cui inhæret non item. Eliquatio hæc contingit absque ulla mutatione coloris ac figuræ lamellarum, quæ integræ adhuc ac immutatae persistunt. Quid hic vobis videtur genuini artis hermeticæ filii? an aurum hoc eductum, an productum? an ignis congreg-

gans ac uniens dispersa solis elementa, id facit brevi tempore, quod natura intra saecula absolvit?

ANIMADV. 2. Semen metalli constat sale & mercurio matrice idonea exceptis. Id crescit animatum sulphure in animali ac vegetabili regno debitam puritatem adepto. Hic spiritus, haec anima naturae, omnisque metamorphoseos unica causa in regno quoque lapideo.

Tentamen II.

Cum plumbo facile fluit, eiusque vitrum nigro colore tingit; liquato nitro adspersa scintillas effundit; tosta fumaum album cum integrato odore spargit de centennario docimastico quatuor libras amittit, a magnetē modice attrahitur, & terreum colorem induit, quæ nigra prius erat.

ANIMADV. 3. Minera haec tenaci Quarzo inhæret, & tamen adeo fluxilis est. Quæ ratio phænomeni? ignem esse illud elementum, quod solida corpora mutat in fluida, nullum est dubium. At illud quoque certum est, mutationem hanc dupli modo contingere, nempe a solo igne, vel ab aliquo additamento, quo ignis concentrari, sive firmior nexus partiū terrea-

rum facilius tolli queat. Tale additamentum est minera simplex aut composita, sive demum pura fuerit, sive heterogeneis inquietata. Cum itaque mineram nostram peculiaris terra metallica, ac plumbum comittetur, ut inferius demonstrabo, ita clare intelligitur, quare eadem addita maiore plumbi copia, tam facile fluat.

A N I M A D V. 2. Vitrum plumbi flavum a limatura martis & veneris, horumque terris metallicis, nigro colore tingitur, a minera vero antimonii non item. Eundem color enim induit in scorificatione aliarum mineralium, quæ præter alia metalla, etiam particulas martiales ac venereas secum ferunt, idque eo magis, quo maior earum copia iisdem inhæserit.

A N I M A D V. 3. Corpora inflammabilia cum nitro detonare, neinimem latet; sed non ideo concludere licet inflammabili principio carere illa omnia, quæ non detonant cum nitro. Sic phænomenon hoc cum limaturis metallorum & sale hoc in igne liquato non appareat, etsi sulphureas particulas contineat, ut patet ex cinnaberi, quæ (teste Cl. Pott) ex metallis menstruo idoneo solutis, præcipitatis, & cum addito mercurio, debito modo tractatis, parari

potest. Si ergo phlogiston cum aliis terris ita fuerit colligatum, ut in igne ab iisdem separari, ac nitrum aggredi nequeat, nulla detonatio continget, et si terra sulphurea fossilis iisdem inhæreat. Forte & puritas sulphuris hic multum facit, nam quo purius, eo cum terris metallicis, præferunt nobilioribus intimius unitur, quod & minera nostra docet, quæ, licet insignem principiis inflammabilis copiam foveat, ut demonstrabo, attamen cum nitro non detonat, sed aliquas tantum scintillas emittit.

A N I M A D V. 4. Mirum sane in fossili nostro volatilibus particulis adeo scatente, de centennario docimastico quatuor libras desperdi, nec plures, post fortē trium horarum ustulationem. Sane mineræ omnes quo sulphure minerali magis abundant, eo maiorem quoque partium suarum iacturam patiuntur, similiter tōstæ, ut docent galenæ, mineræ cupri, pyritæ, argentum rubrum, ac similia. Nonne hinc clare patet diversum esse sulphur metallicum a minerali, non aliter, ac spiritus animales ab aliamentis ventriculo exceptis? illud enim ab igne concentratur, hoc dispergitur; illud metallis amicum, hoc adversum; illud denique coctum, homoge-

neum, semifixum, hoc vero crudum, heterogeneum, dissipabile.

Tentamen III.

Centenarium mineræ crudæ posui in retorta vitrea, & forti igne adhibito, inde obtinui 1) sublimati cinerei libram unam; 2) sublimati nigri libras fere duas. Caput mortuum ponderavit libras quadraginta septem, deditque auri semuncias (122), sublimatum vero tam cinereum, quam nigrum, nullum aurum continebant.

A N I M A D V. I. Sublimatum utrumque detonat cum nitro, avolat in igne sub forma albi & densi fumi, quo dissipato restat in vasculo exigua portio terræ cuiusdam fuscae aut nigricantis; unde patet separari quidem a terris metallicis nobilioribus mineræ nostræ, in igne valido, partem aliquam principiis inflammabilis, non aliter tamen, quin metallicum quid secum abripiat. An portio hæc volatilis facta est phlogiston superfluum, nec naturæ amplius necessarium ad formationem nobilis metalli? an volatile illud, eique associata terra, sunt principia nobilis metalli nondum rite el-

borata, quæ tractu temporis depurata id-
ipsum augere possent?

A N I M A D V. 2. Ea ipsa minera plumbata &
cuprata dat ex centenario semuncias
tri 132, ergo decem semuncias plus, ac
multius in retorta pulvis. Unde hæc di-
versitas? an sublimata eiusdem substantia,
addito plumbo mutatur in metallum perfe-
ctum? ita sane videtur, nec augmentatio
solis ac lunæ iis ignota, qui ea verba rite in-
telligunt, *solve & coagula.*

Tentamen IV.

Diligenter lavans mineralm tenuissime pul-
verifikatam, obtinui

- 1) Turbidam aquam, quæ in vitro depo-
suit pollen nigrum, cuius centen. de-
dit auri semuncias sexdecim.
- 2) Quarzum albicans, cum immixtis squa-
mulis atris metallicis, ex quo obtinui auri
semuncias guinas.
- 3) Quarzum hoc in aqua denuo agita-
tum, denuo hanc turbidam fecit, inde-
que in vase vitro subfedit pollen ater,
similis num. 1mo, qui dedit auri semun-
cias sex.

4) Metallicam substantiam gravem, factam squamulis nitidis atris, ex quibus, in examine docimastico, nullum aurum obtinuit.

ANIMADV. 1. Discant itaque, & caveant Rectores fodinarum, ne in locis illis, in quibus mineræ lavari ac tundi solent, absque examine docimastico prius instituto, quidquam adiiciatur, nam illud, quod ab aqua primo abluitur, quandoque ditius est ac illud, quod fundum petit, aut in declivibus stratis colligitur. Vidi ego non semel leviorem & ab aqua primo translatam quarzi partem auriferam fuisse, sterilem vero illam quæ gravior erat, & in cavitate capsulæ ligneæ remanserat. Non omnes partes sub pistillis æqualiter teruntur, & eiusmodi pollen microscopio subiectum diversæ magnitudinis molleculas continet, quarum minimæ, una cum metallo, ab aqua facile transferri possunt. Forte & semen auri a phlogisto regni vegetabilis facilius animatur in minima molle quarzosæ matricis, quam facilius etiam penetrare, eique melius adipicari potest.

ANIMADV. 2. Ut cannabis filum ex innumeris filamentis, ita lamellæ huius mineræ ex minoribus & minimis coagmentatæ

funt. Textura hæc squamosa in regno lapideo consideratione dignissima est. Trætus, seu venas metallicas in terræ visceribus comitantur plerumque lapides micae. Mica constat terra refractaria & particulis metallicis. Sed mica sine argilla nunquam reperitur, huius vero vestigia sequitur quarzum. Non ergo verosimile est argillam mutari in terram calcariam, sed potius in siliceam, eiusque terram refractariam ab hac metamorphosi superfliet, una cum metallicis particulis micae compondere. Mica itaque est minera imperfetta, & textura squamosa indicat metallo fœcundum quarzi sinus, ut nihil inutile sit in rerum natura.

Tentamen V.

Pollen prædictus (*Tentam. IV. 1*), cum fluxu nigro, pulvere vitri, & sale communi, dedit ex centen. plumbi libras quinquaginta, quod durius erat, nec non fragilius, albidiusque. Ex quarzo (*num. 2.*) obtinui eadem methodo plumbi libras novemdecim. Ex metallica substantia (*num. 3.*) plumbum nullum prodiit, an ideo, quod nullum soveat, vel quia nimis exigua quantitas fuerit examinata. Ex polline (*num. 4.*) obtinui plumbi libras quinque. Porro plumbum pollinis pri-

mi dedit auri semuncias 122, quarzi 38, pollinis secundi 14.

A N I M A D V. 1. Ubi ergo maior plumbi copia, ibi & maior quantitas auri; sed dicta auri copia cum plumbo mixta, hoc fragile non facit, non durius, nec albidius. Quænam ergo phænomeni causa? plumbum hoc, præter aurum, relinquit in cinerito terram slavecentem, apyram, duram, quæ forte causa fragilitatis. Dein dubium adhuc an minera soveat aurum nativum, an potius semen auri, quod in igne maturum fit, ac vere tale, quodque plumbum albidius efficit ac minus malleabile.

A N I M A D V. 2. Notanda est differentia valoris dictæ mineræ, in igne aperto (*Tentam. IV.*), & in igne clauso observati, quod in aliis quoque mineris sæpius occurrit. Iacturæ causa præcipua est plumbum, una cum nobili metallo avolans in igne aperto, ut mirum minime videri debeat tam insigni detrimento fundi mineras consueto hucusque modo, idque eo certius, quo folium vis intensa, plumbum argenterum eo magis dissipaverit. Forte & fluxus niger, phlogisto suo metallis amico, maiorem nobilis metalli copiam evolvit, seu metallicam terram magis animat atque vivificat.

Tentamen VI.

Hydrargyrum depuratissimum cum minera nostra diu tritum, & igni expositum, evolavit, absque ullo auri aut terræ alicuius post se relictæ vestigio. Ruisus eadem una cum mercurio, quocum per aliquot horas trita fuerat, posui in retorta vitrea, indeque prodiit 1) sublimatum nigrum, flavum & album. 2) Hydrargyrum aureo colore tinctum. 3) Exigua copia sublimati fusco-rubri. 4) Hydrargyrum in excipulo collectum. 5) In fundo retorta pollen niger erat, minime compactus.

ANIMADV. I. Notissimus est modus extrahendi aurum ex mineris ope mercurii; cum itaque ex nostra nec minima auri mica hac arte educi queat, sequitur omnino, aut aurum in fossili nostro non latere sub forma metallica, aut cum alio corpore ita coniungi, ut inde ab hydrargo divelli nullo modo possit. Si primum tunc admittenda erit nova prorsus & hactenus inaudita species auri, calciformis videlicet, quæ debitum additamentis mutatur in aurum perfectum. Si vero secundum, tunc necesse erit, ut aurum non nudum sit, sed mineralisatum, & quidem sulphure, ut cætera metalla. Cum autem sulphur mine.

rale exiguum prorsus, aut nullam vim habeat aurum solvendi, ut huius deputatio cum antimonio clare docet, contra vero certum sit solutionem hanc ab hepate sulphuris feliciter absolvi, ita aliqui crediderunt mineralisationem auri, in sinu naturæ, a substantia quadam metallica perfici, & huius ope introduci sulphur minerale in corpus auri. Verumtamen quam debili fulcro sententia haec innixa sit, docet ad finitas sulphuris nulla cum auro, magna vero cum ferro, quæ facit, ut prius cum calce huius metalli pyritem, quam cum auro mineram veram constituat.

A N I M A D V. 2. Nec hydrargyrum (2. 4), quidquid aureo colore tinctum, nec sublimatum ullam (1.) quidquam auri in cinerario reliquerunt. Ergo minera nostra non aurum perfectum, sed unice calcem auri fovet, quæ addito phlogisto metallicam indolem induit, eodemque momento fluida facta, inde exsudat (*Tentam. I.*), etiam antequam plumbeum ab ea in igne secedat. (*Tentam. VII.*)

A N I M A D V. 3. Exigua copia sublimati fuscocubri (3.), cinnaberis erat, minime aurifera, contra eorum doctrinam, qui, *aurum sulphure mineralisatum mediante mercurio,* statuerunt. Hanc natam esse ex

mercurio & sulphure terræ saturninæ, nullum est dubium, ac separatio sulphuris huius a minera, causa est, quod hæc pulverulenta demum, non vero compacta appauerit, ut in aliis experimentis.

Tentamen VII.

Ex centen. minii, & pari copia mineræ obtinui in vase terreo vitrum fuscum, cui multa auri granula immersa erant, & granum plumbi fragilis libr. 36. quod nullum auri festigium in cineritio reliquit.

Ex centen. minii & pari copia mineræ, addito fluxu nigro, nullum vitrum apparuit, in fundo vero vasculi erat granum plumbi malleabilis libr. 88. quod dedit auri semuncias 120.

Ex centen. minii, & pari copia mineræ, ac pulveris carbonum obtinui vitrum nullum, & granum plumbi malleabilis libr. 80, quod dedit auri semuncias 58.

A N I M A D V. I. Saturnus hic aurum conceputum peperit, obstetricante igne, antequam ipsemet a sulphure separatus, ac fluidus factus esset, evidenti argumento non latere aurum in hac minera sub forma nativa.

A N I M A D V . 2. Quare minor copia plumbi, ac duplo minor auri nata est ab addito polline carbonum, ac a fluxu nigro? Ergo non omne phlogiston eiusdem quoque regni æque aptum est reductioni terrarum metallicarum, & ut alcali fixum non idem in omni individuo, sic & principium inflammabile non ubique æque potens, eodemque modo elaboratum. Norunt hoc adépti, & desudarunt unanimiter, ut primam hanc materiam quærerent, quæsitam rectificarent, & rectificata ignobile nobilitarent. At quærant isti quousque volunt, sufficit nobis id scire, phlogisto tartari & nitri obtineri ex hac minera duplo maiorem auri copiam, quam phlogisto carbonum, seu aurum hic reduci, non autem evolvi.

A N I M A D V . 3. Ut certus essem igneas moleculas, quæ per poros terrei vasculi penetrantes minium aggrediuntur, id minime reduxisse, sed reductionem hanc absolvi a sulphure mineræ nostræ, posui in alio vasculo minium solum, ac vidi demum, id equidem vitrum flavum, plumbi vero perfecti nec minima quidem particulam produxit.

Tentamen VIII.

Centenarius mineræ crudæ, cum pari copia florum sulphuris, dedit in collo retortæ

- 1) Sublimatum micaceum, nitens, limatu-
ræ ferri colore in habens, non aurife-
rum, ponderis librarum duarum.
- 2) Sublimatum fusco-rubrum, minime au-
riferum, ponderis libræ unius.
- 3) Sulphuris fusco-flavi, non auriferi li-
brarum octo.
- 4) Sulphuris flavi, nigricantibus venis varie-
gati, minime auriferi libras octoginta
quatuor.
- 5) Residuum in retorta nigrum, compa-
ctiusculum, ponderans libras nonagin-
ta quinque, & continens auri semun-
cias 125.

ANIMADV. 1. Sublimata (1, 2) in igne
avolant, relicta tamen in vasculo terreo exi-
guia copia terræ fuscæ. Sic fixum fit vola-
tile, & econtra, sub certis tamien legibus a
creatore sanctis, ne turbato volatilium fixo-
rumque corporum æquilibrio langueat har-
monia in rerum natura.

A N I M A D V . 2. Si sulphur minerale imperfetum aurum non aggreditur, quanto minus perfectum. Verum quidem est solum auri semuncias deesse in minera ab hac operatione residuo, cum minera sola plumbata & cupellata dederit auri semuncias (132); fed iacturam hanc a diversa efficacia reducentis inflammabilis unice proficiisci, superius demonstravi. (*Tentam. VII. Animadv. 2.*)

A N I M A D V . 3. Sublimati secundi colorem fulco-rubrum adscribent forte quidam arsenicalibus particulis mineræ inhærentibus, cum vero eadem ustulata allium non oleat, ac sunile sublimatum obtineatur etiam in aliis processibus, absque addito sulphure, si non videtur ille color ab arsenico provenire.

Tentamen IX.

Paravi lege artis mercurium sublimatum album corrosivum, eiusque partes duas cum una mineræ mixtas incidi retortæ vitreæ, indeque igne debito obtinui.

- 1) Sublimatum album, ut erat prius, minime auriferum.
- 2) In fundo retortæ mineram, in quo strata bina diversa videbantur, nempe infe-

rius flavescentia, superius vero micaceum & nigricans. Stratum primum ex centenario dedit auri semuncias quinas, secundum autem semuncias viginti.

A N I M A D V . 1. *Mercurius hic (teste Boerhavio) clavis est Chemicis, infinitis referandis propria; eius ope & argenti forte pro parte quid in aurum, prius non repertum, uertitur.* Sed ex hoc tentamine contrarium patet. Minera, quæ plumbata reliquit in cinerito granum auri puri, pondere semunciarum 132 (*Tentam. VIII. Animadu. 2.*), in hoc processu dat semuncias 25. auri nihilo purioris, ac aliud quodlibet alia methodo evolutum. An ergo fallax *Boerhavius?* magni viri commentaria postulant, tacent ea quæ volunt, nec nudam semper naturam adumbrant. Mercurius hic sublimatus certe clavis est Chemicis illis, qui ea uti norunt, sed prius cubicula ignobilia prius referanda sunt, antequam ad nobilia perveniatur.

Tentamen X.

Sublimavi prius spumam lupi, quam in Tyroli prope cuprum flavum reperi, (*Ann. II. Iter Tyrolens. Foss.*) cum eodem mercurio sublimato corrosivo, eiusque pariter albi partes

tes duas miscui cum una minera nostræ, indeque obtinui.

- 1) In collo retortæ sublimatum flavum, in igne fumans, ac demum relinquens in vasculo granula quædam auri puri, una cum modica copia terræ flavæ. Idem plumbatum, dat ex qualibet libra, semuncias auri binas.
- 2) Sublimatum aliud rubellum, cum nitri detonans ut prius, quod ex qualibet libra dat auri drachmam unam.
- 3) In fundo retortæ mineram fuscam, inde compactam, cuius centenarius dat auri semuncias (32).

A N I M A D V. 1. Nec in isto, neque in alio tentamine vestigium butyri antimonii ullum apparuit, ideoque nec minima portio mercurii revificati se prodidit. Et hoc indubium est signum nullius omnino antimonii in hac minera latitantis, ut credunt nonnulli.

A N I M A D V. 2. Sal hoc metallicum auri elementa reddidit volatilia, prius vero non item. En quam diversimode agat mercurius sublimatus simplex, ac denuo aliter idem animatus ente metallico. Qui ergo

noverit clavem hanc parare, sciet etiam modum referandi metallæ, nec pœnitabit impensæ mercurio huic sublimato operæ (Boerh.)

Tentamen XI.

Mineram in retorta residuam a Tentam IX. miscui denuo cum eodem mercurio sublimato, indeque obtinui

- 1) Granula quædam auri puri, ad initium colli retortæ, vitro firmiter adhærentia.
- 2) Sublimatum flavum, non auriferum.
- 3) Sublimatum album, quod initio flavo colore tinctum erat, & auriferum.
- 4) In fundo retortæ mineram compactam, porosam, nigrain.

A N I M A D V. 1. Aurum hic, per acidum salis volatile factum, & vitro adhærens sub forma metallica, demonstrat vim principii mercurialis summopere attenuantein, quafit, ut metalla perfecta in uno loco produci, in alio destrui, tractusque metallicos, in terræ sinu augeri, nobilitari, ac fastigere possint.

A N I M A D V. 2. Flava illa substantia in altum rapta (2.), diversa est ab auro, eius-

V I R O

M A G N I F I C O , E X P E R I E N T I S S I M O ,
E X C E L L E N T I S S I M O

CHRISTIANO GOTTLIEB
L V D W I G ,

Philos. et Med. Doctori, in Academia Lipsiensi
Therapiae Professori Publ. Ordinario, Ordinis Medicorum
Decano perpetuo, Academiae Deceimviro, Collegii Ma-
ioris Principum et Collegii Beatae Mariae Virginis Sodali,
Academiae Regiae Borussiae et Societ. Oeconomicae
Lipsiensis Botanicaeque Florentinae
Socio,

T E R T I V M H V N C A N N V M

H I S T O R I C O - N A T V R A L E M

D. D. D.

I O A N N E S S C O P O L I

hoc? Respondebunt alchymistæ, argen-
tum hoc esse solem veste exutum ab aqui-
la rapaci. Mihi vero probabilius omnino
videtur, metamorphosim hanc esse terræ
plumbariæ, a sale ammoniaco & igne fa-
ctam, ut inter cætera demonstrat minera
perpetua e plumbo, quam ex concordantiis
Becheri, excitat *Junkerus*. Verumtamen
cum minera nostra argentum quoque fo-
veat, sic possibile erit etiam, ut principia
huius metalli a salinis corporibus volatilia
facta fuerint, iis intactis, quæ aurum con-
stituunt.

Tentamen XIV.

Mineræ pars una, cum simili quantitate mer-
curii sublimati corrosivi, ac duabus partibus sa-
lis ammoniaci, dedit

- 1) Grana quædam solidiuscula, cinerea, sum-
mo alembici loco adhærentia, & aurifera.
- 2) In imo alembici loco pulverem cinere-
um, non auriferum.
- 3) Alibi in eodem alembico pollinem al-
bum, tenuem, pariter sterilem.
- 4) In supremo loco cucurbitæ pulverem
fusco-cinereum, auriferum.

- 5) Pulveri huic subiacens sublimatum fuscum, non auriferum.
- 6) Sublimatum album, non auriferum.
- 7) Residuum fuscum, auriferum.

A N I M A D V. I. Nec mercurius sublimatus (*Tentam. IX.*), nec sal ammoniacum, (*Tentam. XII.*) protulit auriferum sublimatum, quod ex utroque sale simul unito hic natum vidimus. Simili modo natura multiplicatis instrumentis dum in uno loco corpora destruit, in alio nova producit. Forte & in fornacibus fusoriis ex varia aditamentorum indole, diversisque principiis minerarum, mixtum aliquod s^epe prodit, quod metalla dispergit & dissipat. Interest itaque reipublicae, ac rei metallicae incremento nihil magis accommodatum esse potest, quam juvenes illos, quos vocant practicantes, tunc unice promovere, cum didicerint fossilia rite examinare, eorumque habitum ad ignem, aliaque corpora prævie cognoscere. Putant quidem aliqui, summi principis utilitati tunc consuli in primis, cum discentes sciverint, quomodo in eo loco mineræ liquari soleant, qualiter docimastica examina instituantur, & quænam sit structura machinarum, quæ in iis fodinis fabrefactæ fuerunt; hinc sufficere

que principiis, hinc sublimatum hoc flavum in priori tentamine auriferum erat, in hoc vero non item. Sic ignis decipit illos, qui purioris chemiæ ignari, cœca fide varia tentant, & quamprimum producta sua ita vident colorata, qualia processus habet, mox gaudent ac putant, se optatum tingens, & quæsitas opes invenisse. Chemicorum iam plena sunt omnia, sed pauci sunt illi, qui chemica tractant sana mente, eoque intentione, ut non propriam, sed publicam quærant utilitatem, quod ii faciunt, qui empiricorum errores in operibus fusoriis ostendunt, fraudes detegunt, & ignata fossilium elementa omni industria detecta, fideliter indicant.

Tentamen XII.

Mercurii sublimati (*Tentam. X. 3.*) partes duas, miscui cum una parte minera, indeque prodiit sublimatum album, & in fundo retortæ erat minera compacta, quæ ex libris quinquaginta, dedit semuncias auri totidem.

A N I M A D V. Sperabam a mercurio hoc sublimato metallicas particulas longe plures elevari, ac ab illo, qui cum nulla minera prius fuerat sublimatum, sed non successit.

Tentamen XIII.

Sublimatio facta cum duabus partibus salis ammoniaci, & una mineræ, dedit

- 1) Sublimatum fusco-rubrum, argenti-ferum.
- 2) Sublimatum album, sterile.
- 3) Sublimatum fuscum, sterile.
- 4) Sublimatum flavum, sterile, quod in aqua solutum relinquit in filtro terram fuscam.
- 5) Sublimatum pallide rubrum, sterile.
- 6) In fundo cucurbitæ mineram compastam, fuscam.

A N I M A D V. 1. Sublimatum flavum, ponderis libr. 34, in igne post se relinquit terram rubro-flavam, quæ seto mixta & ustulata, attrahitur a magnete. Mirum sane martem cum sole sæpius habitare! arenæ auriferæ omnes martiales sunt, pyrites fodinarum Schemizensium omnes auriferi, & sic porro. Non absque ratione hinc adepti quidam crocuni martis tanti faciunt.

A N I M A D V. 2. Ex sublimato primo argentum obtinui, non autem aurum; unde

una, vestigium argenti solaris in cineritio reliquit.

A N I M A D V. Quare hic argentum paucum prodidit, idque non purum, sed auro mixtum? sane neutrum ex his metallis solutum vidissem, si perfecta & nativa hic habitarent. Nonne maior hinc patet adfinitas acidi vitriolici ac nitroosi cum terris nobilium metallorum, quam spiritus salis? an aurum hic est terra lunaris ab acido salis debitam maturitatem adepta? Sic mihi videtur.

Tentamen XVIII.

Cum aqua regia fortius ac diutius effervescit, solutionem dat flavam, & colore in nigrum mutat in album. Ex hac solutione cum alcali fixo præcipitatur pulvis ater, qui edulcoratus & exsiccatus cæruleum colore induit. Magisterium hoc febo mixtum ac ustulatum trahitur a magnete, de libra una dat argenti puri semiunciam, & cum sale ammoniaco dat sublimatum album, remanente in fundo curbitæ massa flava ac modice compacta.

A N I M A D V. I. Cum ex quolibet magisterio (*Tentam. XV. XVI. XVII. XVIII.*) argentum prodeat, dubium nullum supervestit, metallum hoc in minera non esse na-

tivum. Notanda quoque est hic mutatio mineræ de nigra in albam, contra ac aliis solutionibus, in quibus minera nigra erat, magisterium vero album. Ergo causa coloris illius pendet ab ente singulari ac distincto tam a terris metallicis nobilioribus, quam ab inflammabili illo tenuissimo, quod cum iisdem in minera ipsa a natura copulatum fuit.

A N I M A D V. 2. Non omne fossile, quod cum sale ammoniaco sublimatum luteum non largitur, desitutum esse terra ferrifera, docet magisterium dictum, quod cum sale hoc sublimatum album præbet, & tamen post ustulationem trahitur a magnete, ut alii lapides ferriferi intractabiles. Casta ergo in chemicis utamur theoria, ne experimentis reiecti nos pœniteat ratioçinii.

Tentamen XIX.

Solutio (*Tentam. XVII.*) abstracta reliquit in retorta massam, bolari colore tinctam, & ad latera vitri elevatam. In collo retortæ erat pollen albus superficialiter eidem adhaerens. E medio rubræ illius massæ prodibat fasciculus crystallorum capillarium, quæ rubra illa substantia ubique erant cooperta. Massa hæc pariter argentifera, postquam fuerit ustu-

credunt, si iuvenes illi bis aut semel in hebdomade, per aliquot horas, chemica tractant. Sic sensus intentus pluribus, minor est ad singula, sic empirica ruditas perseverat, & Chemiæ demitur occasio fodinarum œconomiam utilibus inventis promovendi.

Tentamen XV.

Cum spiritu vitrioli modice effervescit mineræ nostra, ac solutionem dat rubellam. Ex hac cum alcali fixo præcipitatur pollen albus, cuius libra una docimaistica dat argenti semunciam & drachmam unam. Lixivio sanguinis solutioni huic adfuso, obtinetur magisterium pariter album.

A N I M A D V. 1. Spiritus vitrioli non solvit argentum, hinc metallum hoc mineræ nostræ sub forma nativa non inhæret. Sed neque terra ferrifera talis hic adest, qualis ab hoc acido solvi, indeque a lixivio sanguinis præcipitata, cæruleum magisterium constituere solet.

A N I M A D V. 2. Argentum illud erat purum, nec auro mixtum, & tamen in acido nitri solutum reliquit in fundo vitri pollinem nigrum, ex quo aurum obtinui. Nonne

hæc evidens est transmutatio metalli particularis?

Tentamen XVI.

Cum spiritu nitri depurato validius effervescit, ac solutio servat flavescentem exhibiti menstrui colorein. Ex hac solutione, ope alcali fixi, præcipitatur pulvis albus, cuius libra una dat argenti purissimi femunciam unam. Præcipitatum hoc in igne nigrum colorem induit, ac ita tostum modice trahitur a magnete.

A N I M A D V. Tentamen hoc demonstrat terræ ferriferæ in minera latentis insignem puritatem, quæ ab acido vitrioli immutata persistens, etiam post ustulationem non trahitur a magnete, bene vero si cum principio inflammabili spiritus nitri prius copulata, ac intime iuncta fuerit. Potest ergo dicta terra latere in mineris, et si, eadem cum acido vitrioli digestæ, cæruleum magisterium addito lixivio sanguinis nequaquam suppeditent.

Tentamen XVII.

Cum spiritu salis modice effervescit, ac solutionem dat excolorem, ex qua cum alcali fixo præcipitatur pulvis albo-luteus, cuius libra

CORRIGENDA

Anni secundi historicο - naturalis.

Pag. 8. lin. 20. lege *Pedes.* Ibid. l. 26. *Confervat.*
p. 9. l. 4. l. *Iam.* p. 12 l. 1. *Terrat.* Ibid. l. 6 l. *præ-*
dictam. p. 14. l. 2. l. *ebulliente.* Ibid. l. 26. l. *Li-*
zhanthracis. p. 16. l. 2 l. *siliceæ.* Ibid. l. 7. l. *ebu-*
llentis. Ibid. l. 23. l. *Carinthiæ.* p. 17: l. 1. l. *pæca-*
ceo. p. 19. l. 3. l. *grana.* Ibid. l. 23. l. *vegetabilis.*
p. 21. l. 14. l. *saturatiorem.* p. 22. l. 9. l. *calcariam.*
p. 23. lin. 2. l. *ex.* Ibid. l. 4. *omissa.* p. 24. l. 24. l.
magneti. Ibid. l. 27. l. *quarzi.* p. 25. l. 3. l. *quarzt.*
p. 41. l. 26. & 28. l. *Chamædrys.* p. 42. l. 9. l. *Dio-*
scoridis. p. 44. l. 3 & 4. l. *triandri, tetrandri.* p.
53. l. 12. *Fumana.* p. 55. l. 16. l. *semicylindrici.*
p. 56. l. 25. l. *obtusis.* p. 60. l. 3. l. *Leontodonite.*
Ibid. l. ult. l. *tomento.* p. 62. l. 9. l. *floris.* p. 63.
l. 17. l. *insignitam.* p. 64. l. 20. l. *germina.* p. 66.
l. 12. l. *Botanophilus.* p. 68 l. 13. l. *laricini.* p. 69.
l. 8. l. *vegetabile.* Ibid. l. 19. l. *moles.* l. 20. l. *attri-*
tis. p. 70. l. 2. l. *derelictus.* p. 72. l. 7. l. *Carnio-*
liæ. p. 73. l. 5. l. *cæteræ.* p. 74. l. 7. l. *est.* Ibid.
l. 29. l. *epyræ terræ.* p. 75. l. 19. l. *minerali.* p. 85.
l. 6. l. *qua.* p. 86. l. ult. l. *tantam copiam.* p. 87.
l. 1. l. *insignis.* Ibid. l. 9. & 15. l. *secale.* p. 88. l.
16. l. *hebdomade.* p. 91. l. 14. l. *borrensi.* p. 92. l.
7. l. *sesquipedali.* p. 93. l. 1. l. *vescicis.* p. 94. l. 7.
l. *humidioka.* p. 95. l. 22. l. *Unicum.* p. 99. l. 22.
l. *monopetala.* Ibid. l. ult. l. *sive.* p. 101. l. 10. l.
ceriaceum. p. 103. l. 23. l. *mole.* p. 115. l. 5. l. *Tode.*

C O R R I G E N D A

Anni tertii historicō - naturalis.

- Pag. 8. lin. 13. lege *ex pro est.*
— 9 — 2 — *Valesius pro Velesius.*
— — — 23 — *contempsit pro contempsoſit.*
— 10 — 21 adde *ma ſolamente.*
— 21 — 10 lege *coluerunt pio coluerunt.*
— — — 20 — *Numa pro Num.*
— 23 — 23 adde *eo ait.*
— 32 — 3 lege *Malis pro Melis.*
— 36 — 24 — *fluxus pro fiuxus.*
— 37 — 10 — *charaeter pro character.*
— 39 — 1 — *quas pro gnas.*
— — — 12 — *inficiet pro inficiet.*
— 40 — 10 — *Mictus pro Mixtus.*
— 42 — 4 — *digressi pro aigreſſi.*
— 46 — 15 — *intruſerunt pro instruſerunt.*
— 51 — 24 — β pro β .
— — — 30 — β — β .
— 53 — 9 — *tabe pro tabo.*
— 55 — 21 — \mathcal{E} .c. pro \mathcal{E}
— 56 — 23 — *tribulationis pro tritulationis.*
— 62 — 7 — *unicum pro unciam.*
— 65 — 14 — β pro β .
— — — 16 — β — β
— 76 — 19 — dr. β pro dr. β .
— 78 — 11 — *praecipitant pro praeciffitant.*
— 86 — 20 — *quinas pro guinas.*

lata, trahitur a magnete, cum sale vero ammoniaco sublimatum flavum constituit, remanente in fundo cucurbitæ albida & hinc inde rubente terra.

A N I M A D V. Tentamen hoc terræ martialis præsentiam in minera nostra clare demonstrat, ac docet eam ipsam ab elementis modificatam ad nobilium metallorum productionem plurimum facere.

Tentamen XX.

Solutio (*Tentam. XVIII.*) pariter abstracta dat residuum flavum, ut Turbith minerale, cuius libra una dat argenti puri semunciam unam. In collo retortæ erant crystalli capillares, albæ, minime argentiferæ.

Ex his sequentia deducere licet corollaria.

P r i m o. Minera aurifera Nagyayensis est galena lamellosa, seu terra plumbaria (*Tentam. II. V.*) modice sulphurata (*Tentam. II. VI. 3. VII. 3.*), principiis nobilium metallorum, nempe auri & argenti, nec non martialibus particulis (*Tentam. II. XVIII. XIX.*) intime nupta, ac volatiles particulas plurimas continens (*Tentam. III. VI. VIII. X. XI. XIII. XIV. XVIII. 2.*)

Secundo. Pro minera antimonii nullatenus haberi posse (*Tentam. II. 2. X. 1.*)

Tertio. Aurum eiusdem, ut & argentum, non esse eductum, sed productum (*Tentam. I. VI. XV. XVII.*)

Quarto. Naturam ab arte in suis operibus adiuvari.

Quinto. Aurum, a semimetallo & acido salis concentratissimo, volatile fieri, destrui principia eiusdem fixa & volatilia in altum rapi, in igne resurgere hanc phoenicem ex suis cineribus redivivam, & ex pluribus diversis perfectum denique nasci.

Sexto. Tantam copiam partium volatilium vere metallicarum, nos demum docere, metalla esse materiam lucis modificatam, seu volatile fixum.

